NATALIS MARII CIMALIAE
ANTIQVITATES
V E N V S I N A E
TRIBVS LIBRIS EXPLICATAE.

ASCVLANENSIVM ANTIQVITATES.

ET DAVNIAE APVLIAEQVE VETERIS GEOGRAPHIA.





N E A P O L I MDCCLVII.
TYPIS JOSEPHI RAYMVNDI
Superiorum permissu.

CAROLO

NEAPOLITANORUM, SICILIENSIUM, ET HIEROSOLIMORUM POTENTISSIMO REGI, HISPANAE JUVENTUTIS GLORIOSISSIMO PRINCIPI, PARMAE, PLACENTIAE, ET CASTRI DUCI, HETRURIAE HEREDITARIO PRINCIPI &c. &c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO



Uum primum DOMINE Venusinas Antiquitates sanctissimo nomini tuo dedicare constituissem, & continuo mihi subiisset cura, ut quæ tibi dicerentur, te etiam digna esse debuissent,

ſent , quem in excelſiſſimo humani generis poſitum faſtigio , pacem , bellum , atque majora tractantem , majorem etiam jam noveram , ut ad noſtra deſcenderes, parum abfuit , quin ab incepto deſiſterem . At memor avorum noſtrorum , qui & ſimplici lacte piare Diis conſuevere , & meam intuens ætatem , qui quum vigeſimum pene exceſſiſſem annum , ea tentare ſum auſus , quæ nonniſi a conſummatiſſimis , eruditiſſimiſque viris adhuc uſque tractatæ ſunt, eo animus pulcerrimum tibi facinus auſus eſt exponere , ſimulque ut in eo gloria clareat tua , qui Europæ Regum ſolus , dum undique vel enſes aptantur, vel armatorum ferocia integra corruunt regna, pacem & otia tuis præbes , & Muſas undequaque adactas tuis regalibus recepiſti ædibus . Quæ ſane tuæ memores magnanimitatis & munificentiæ, hebetioris ſane etiam ingenii noſtrum quemque ſatagentes ad ſcribendum impellunt, ut tua glorioſiſſima geſta plus uno maneant DOMINE perennia ſæculo . Comi igitur animo hos qualeſcumque fuerint impolitos excipe libellos, quos tantum me non pudet tibi dedicare , quantum nulli adhuc uſque vitio fuit Deos quoquo poſſet modo colere. Te igitur jucundiſſime DOMINE diu incolumem ſervet ac ſoſpitet Deus Optimus Maximus, ut

qui

qui modo inimicis jam tuis undique profligatis ac cæsis optimam nobis & Europæ pacem restituisti, hoc etiam Regibus affinibus tuis immani nunc bello afflictis tua præstare possis gloriosissima opera.

Numini Majestatique Tuæ

devotus

Natalis Marius Cimalia.

NATALIS MARIUS CIMALIA

LECTORI SUO S.



Xpectationem tuam ne diu sustineam STUDIOSE LECTOR, quum nostros lecturus suscipias libellos, paucis te monitum volo, ut cito ad opus perlegendum tibi convolare liceat. Libri, qui VENUSINORUM ANTIQUITATES inscribuntur, a Venusia urbe condita ad nonum usque CHRISTI seculum historiam habent, quam nos temporum ratione servata, quoad fieri potuit, conscripsimus. Nomen ipsis Dionysius Romanorum rerum scriptor mutuatus est, quum veteres Romanorum historias Ῥωμαίων ἀρχαιολογίας *vocat. Huic vero operi occasionem præbuit adversa valetudo, qua his proximis annis adficiebamur, quum enim Septembri mense Foggiam patriam urbem venimus, ut pectoris, quo laborabamus, mederemur dolori, levandi deinde caussa Asculum primum, deinde Venusiam concessimus. Tertiæ jam tum erant Novembris Calendæ, quum ex Asculo profecti Venusiam petimus, antiquæ Urbis rudera nostris inspecturi oculis: at mulionis imperitia, quum tota decessissemus via, quam diu vagantes, quum nullo quidem pacto assequi potuissemus, ad loca demum devenimus invia & saltuosa, secunda pene noctis exiente vigilia; quoniam vero neque Venusia, neque Melphia quantum a nobis distarent cognosceremus, & Aufidus per præruptas montium crepidines descendens omnem pene viam nobis detruncaverat, ingentique aquarum fragore pene deterruerat, sistere tum nobis sententia fuit: & quum frigus nos pene adussisset, ex circumstantibus nivosis montibus undique manans, Servus tum in*

lignis quamplurimis nive, vel glacie obductis, sicco jam antea refertis foeno ignem submovit. Non erat sane quin Divos vocares: silebant enim undique auræ, & illunem omnino gelidam noctem illam nivosus reddiderat aer, qui tenebras undique offundens, tota nos ibi manere nocte cogebat: Ni venatores duo obviam nobis forte, & nostri certiores facti Venusiam usque duxissent ad virum nostri amicissimum claris natum majoribus VITVM ALTRVDAM, qui quam comiter nos recepisset, non est ut dicam. Tum quamplurimi Venusini nobis adjuncti sunt, qui antiquæ Urbis monumenta undique commonstrarunt. At præter antiquas ἐπιγραφὰς, quas nostris inseruimus libris, nobiles statuas, & magnificentissima priscorum Venusinorum monumenta, obvenerunt etiam nobis hæbraicæ quamplurimæ inscriptiones sexdecim insuper numero, quarum ætatem jam tum ex eo quarti Christi sæculo esse novimus, quum enim ex Asia Judæi quamplurimi in Italiam migrati sunt. Cupiveram sane, & tertio Antiquitatum Venusinarum libro eas exponere, at quoniam propositi operis formam me excedere cogissent (Venusinorum enim solum historias describendas suscepimus) eas ideo omnino neglexímus. Tum etiam nobis relatum est hæbraicas inscriptiones oppidulo Ravello *cognomento, non paucas sane numero adhuc superesse, & fere per Apuliam alias inveniri. Erunt & forte aliæ in Calabria, testantur enim Impp. Arcadius, & Honorius Judæos tunc temporis in quamplurimas Apuliæ & Calabriæ civitates fuisse. Nos igitur Venusinorum solum historias tibi proponimus omnibus Venusinorum literatis refertas monumentis, quæ ipsi Venusiam descripsimus majori, qua decuit diligentia. Huic sane operi ASCVLANENSIVM adduntur ANTIQVITATES, & VETERIS APVLIAE,*

LIAE, & *DAVNIAE GEOGRAPHIA*, *quam eorum addidimus gratia*, *qui Apulorum*, *Dauniorumque antiqua oppida non bene norunt*. *Omnia hæc igitur studiose lector æquo legenda suscipe animo*, *quod si qua temere adversus clarissimorum virorum sententias in his libris scripta vides*, *ætati nostræ potius velim*, *quam vitio tribuas*, *vicenarius enim pene hos libros scribendos suscepimus*: *Modeste quidem & circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum fuerat*, *damnantur enim sæpe in iis ea*, *quæ non intelliguntur*. *Si hoc comune hominum est vitium nil prorsus erit in his libris*, *de quo arrogantiam nostram merito accusare possis*: *tum enim demum adversus Cl. viros scripsimus*, *quum eorum perfecte teneremus sententias*. *Qua in re illud etiam velim scias*, *nos sæpe in adnotationibus adversantium sententias conjecisse*, *quas ideo cuperem*, *ut quoties occurrunt adeas*. *Ac demum te monitum velim iniquorum maledicta nos haudquaquam movere*, *scimus enim illud* ὅ, τι δ᾽ ἂν εἴπῃ τις περὶ σοῦ, μὴ ἐπιστρέφου. *Igitur si de eis*, *quæ scripsimus aliter alii senserint*, *scribant potius*, *quam maledicant*: *Tu vero studiose lector*, *ni ea quæ scripsimus indigna nimis videbuntur*, *fac potius*, *ut æquanimitas tua nostram ad scribendum augeat industriam*. *Vale*.

INDEX

CAPITUM, ET OPERIS.

De

ERRATA		CORRIGE
pag. 8.	equor	Sequor
12.	manante	manant
13.	Publio	Publilio
58.	intiger	integer
76.	Egiptis	Ægyptiis
77.	Hoeraldum	Beroaldum
117.	Lollio	Tollio
129.	exceſſio	exceſſo

Si quà videbuntur chartis tibi Lector in iſtis
Sive obſcura nimis, ſive latina parum,
Non meus eſt error: nocuit Librarius illis
Dum properat verſus annumerare tibi.
Ex Martiale.

Ἡμῖν δὲ παρ᾽ ὅλην τὴν ἱστορίαν τὰ μὲν γραφέντα καλῶς, μὴ μετεχετω φθόνου· τὰ δὲ αγνοηθέντα τυγχανέτω διορθώσεως ὑπὸ τῶν δυνατωτέρων.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

GIuseppe Raimondi pubblico Stampatore di questa Città posto con tutto l'ossequio a piedi di V. E. umilmente l' espone, come desidera dar alle stampe un picciol libretto intitolato *Antiquitates Venusinæ*, la supplica perciò concedergliene la licenza, e l'avrà a singolarissima grazia, ut Deus &c.

Adm. Rev. D. D. Jacobus Martorelli in Cathedra Linguæ Græcæ Profess. revideat, & in scriptis referat. Datum Neap. die 18. *Mart.* 1757.

JULIUS NICOL. EPISC. ARCAD. CAN. DEP.

Impeditus
Martorelli.

Adm. Rev. D. Joh: Baptista Gori S. Th. Professor, & in Academia Archiep. Palatii S. Th. Lector, & Curiæ Archiep. Examinator revideat, & in scriptis referat. Datum Neap. Die 29. *Jul.* 1757.

F. CAN. GIORD. LOC. ET PRO ILL. DOM.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEPUT.

Impeditus
Jo: Baptista Gori.

Illustriss. ac Reverendiss. Dom. D. Ignatius Savastano Can. Metrop. Ecclesiæ U. J. D. S. Th. Professor, Curiæ Archiep. Examinator revideat, & in scriptis referat. Datum Neap. die 5. *Augusti* 1757.

I. EPISC.

I. EPISC. PHILAD. VICAR. GENER.
JOSEPH SPARANUS CAN. DEPUT.

Impeditus
Ignatius Can. Savaſtano &c.

Adm. Rev. P. Albertus Capobianco Ordinis Prædicatorum S. Th. Magiſter Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Theologus, in Lyceo Archiep. Philoſophiæ Lector, ac Curiæ Archiep. Examinator Synodalis revideat, et in ſcriptis referat. Datum Neap. die 15. *Decembris* 1757.

I. EPISC. PHILAD. VICAR. GENER.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEPUT.

EMINENTISSIME DOMINE

UT mandatis Eminentiæ Veſtræ obtemperarem attente perlegi Opus cujus titulus *Antiquitates Venuſinæ*, in quo nihil inveni aut Dogmatibus noſtræ Fidei, aut ſanæ Morali adverſum. Quapropter ſi Eminentiæ Veſtræ id viſum fuerit, ut publicis Typis mandetur, dignum cenſeo. Datum in Conventu S. Dominici Majoris die 20. Februarii 1758.

Humill. addictiſs. et obſequentiſs. ſervus
Fr. Albertus M. Capobianco Ord. Pr.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum Neap. die 27. *Feb.* 1758.

I. EPISC. PHILAD. VICAR. GENER.
JOSEPH SPARANUS CAN. DEPUT.
S. R. M.

S. R. M.

SIGNORE

GIuſeppe Raimondi pubblico Stampatore di queſta Voſtra Fedeliſſima Città, ſupplicando eſpone alla M. V., come deſidera ſtampare un Libretto intitolato: *Antiquitates Venuſinæ*. Per tanto proſtrato a' Regali Piedi della M. V. ſupplicando di commettere la Reviſione a chi meglio li ſembrerà, e l'avrà dalla Clemenza di V. M. a grazia ſingulariſſima ut Deus &c.

Adm. Rev. U. J. D. D. Carolus Gagliardo in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Neap. die 21. menſis Martii 1756.

NICOLAUS DE ROSA EPISC. PUT. CAP. MAJ.

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOM.

A*Ntiquitates Venuſinæ*, quas Libello mole quidem exiguo, ſed rebus magno collegit, & quod fieri poſſit clariores reddidit Auctoris eruditio & induſtria, nil prorſus habent, quod cum Regiis juribus, boniſque moribus pugnet. Icciirco eas luce præli perdignas cenſeo. Neapoli die 15. Decembris 1756.

Obſequentiſs. & Addictiſs. Famulus
Carolus Gagliardus.

Die

Die 4. mensis Februarii 1757. Neap.

Viso rescripto Sacræ Regalis Majestatis sub die. 2. currentis, & anni, ac relatione Reverendi D. Caroli Gagliardi de commissione Reverendissimi Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Regalis Majestatis.


Regalis Camera Sanctæ Claræ, providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Revisoris; verum in publicatione servetur Regia Pragmatica hoc suum.

FRAGGIANNI. GAETA. PORCINARI.

Ill.Marchio Danza Præf. S.R.C. non interf.
& Ill.Marchio Castagnola temp.subsc. imp.

Reg.f.74. a t.
Carulli

Mastellonus.



ANTIQUITATES VENUSINÆ.

LIBER I.



ENUSINAS Antiquitates ſcripturis a primordio Urbis eas incipere, ſatis difficile opus, ac arduum reor, quippe cum, vel prorſus omnino lateant, vel poeticis magis decoræ ſint fabulis, has quidem refellere, illas vero exponere in animo eſt. Nec enim in Græcis Romanarum rerum Scriptoribus aliquid immorandum, qui ut Italiam ex ipſis progenitam oſtenderent, noſtras ævitates, fabulis intricatas magis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis fultas tradidere. Primum tamen haud pigeat aliquid ex Moyſis libris delibare, & quid ipſis de rebus ex Joſepho Judæo accepimus; deinde ſub ſilentio relinquens longam annorum ſeriem, quæ ad Romanos uſque pertingit, rem omnem, cui proſperos ex diis precor ſucceſſus, ex Livio, Polybio, ac ceteris, libenter perſequar.

CAPUT I.

De Venusiæ Conditoribus.

JAphet Noe filium Europæ primum poſt diluvium cultorem fuiſſe ex Moyſe accepimus (1). Is cum plures ſuſcepiſſet filios, ex Javan, qui poſtremus illorum fuit, Gentes, quæ univerſam Europam occuparunt, originem procul dubio traxerunt (2). Hinc Umbros, Siculos, Aborigineſque ex Javan Nepotibus progenitos putamus, quos Pelaſgi huc advenientes invenere. Enixe rem conatus eſt oſtendere Bochartus, (3) qui ex כתים Javan filio Latinos extitiſſe autumat, placet nobis tamen Chittim Bocharto linquere, & animum in Flavii ſententiam inducere, cui cum omnes faveant Græcorum fabulæ, magis adhærendum puto. Ex Jano Japheti filio Jones, Helladeſque ortos ipſe fatetur, ubi Ἰωνῶν appellatione Italos intellexiſſe procul dubio oſtendunt verba ἀπὸ δὲ Ἰαυάνε Ἰωνία, καὶ πάντες Ἕλληνες γεγόνασι (4). Jones enim Aſiam incolentes ex Græcis profectos certum eſt (5). Suboleo tamen nedum ex Japheto Aborigines, ſed ex Sem etiam genere ortos: Saturnum enim, quem ex Creta in Italiam advectum finxere, Aſſyriorum Regem fuiſſe fatentur Beroſus Chaldaicus, (6) Euſebius (7) Παχάλιον (8), aliique. Umbros tamen Siculoſque ex Jano magis crediderim, quam quos ex Græcis Aborigines ortos Dionyſius narrat: ipſe fatetur ab Oenotro Siculos, Umbroſque in Italia inventos; immo (9) Aboriginum prælia, qui-

quibus in Italia Umbros, Siculosque propriis pepulerunt sedibus, abunde ostendunt.

Num vero Venusiam nostram Umbri coluerint, quam difficile sit dictu quisque sat videt, præsertim cum ex Dionysio ante Pelasgorum adventum superiora Italiæ tenuisse loca Umbros appareat. Verum cum in Italiam Pelasgi advenissent, (10) patrias sedes Umbri linquere coacti sint, ac inferiora Italiæ petere loca, facile conjicimus Venusiam tum primum conditam, conjectationique nostræ argumento esse potest Crotonem ab Umbris tunc temporis ædificatam fuisse. Sed cum de ipsis sermo incidat videamus parumper, quinam ii fuerint. Dionysius ait (11) πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τῆς Ἰταλίας χωρία ᾤκουν οἱ Ὀμβρικοί, καὶ ἦν τοῦτο τὸ ἔθνος ἐν τοῖς πάνυ μέγα τε, καὶ ἀρχαῖον. at Plinius (12) Umbrorum gentem antiquissimam Italiæ existimatam fuisse narrat, ut quos OMBRIOS a Græcis putabant dictos, quod inundatione terrarum IMBRIBUS superfuissent: ego vero Plinio meo adsentior, qui postquam eos Pelasgi ex Etruria expulerint,(13) in felicis Campaniæ populos venisse narrat, ac in Apuliam nostram demum migratos satis aperte Dionysius indicat; qui etiam sermone a Græcis dissimili (14) eos usos fuisse testatur. Pelasgos igitur duce Oenotro, vel Peucetio, Umbris exactis, Venusina incoluisse loca, ratio nobis suadet, & ab iis Urbi nomen inditum Venusiæ ex בנגם *in deserto*, nec mirum, desertis enim ab Umbris habitationibus, venerunt Pelasgi. Vel ex נוס *fugit*, & ב *in*, vel *ubi*, quia scilicet exinde fugisset Umber. Vel etiam forte ex Chaldaica voce נים, sive ניסא *Insula*, unde νῆσος, quod nempe Urbs in edito exstaret colle. Vel demum ex ב

A 2 &

& נוסס *vexillum ferens* , cum oppidorum omnium caput eam constituissent, ex quo inde apud Græcos ἀξιόλογος πόλις sæpe nominetur . At antiquarum Urbium etymon , nominisque rationem reddere, est prorsus ineptire: nec harum, quas proposuimus auctorem me præbeo : eas enim apposui , ne qua ex parte officio meo defecisse videar . Extat tamen Scaligeri locus ad Berosi fragmentum , ex quo Carthaginem aliquando Ἕλλησι auctoribus Οἰνοῦσαν dictam accepi , qua autem ratione non satis apparet . Equidem risum vix tenere potui , quum Servii opinionem (15) legissem, qui Venusiam a Diomede conditam narrat , & ex Venere ei inditum nomen. Cincius, & Varro apud Macrobium testantur (16) Veneris nec Græcum fuisse nomen , nec Latinum sub Regibus . Ἕλληνες enim hanc semper Ἀφροδίτην appellant , sive Cœlo , & Die natam , sive ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ procreatam , sive Jove, & Dione conceptam , sive demum Venerem Syriam : qui igitur fieri potuit, ut Diomedes Ætolus Venusiam ex Veneris nomine appellaverit? Nominis hujus latinum etymon omnino exhibet Tullius, cum dicat (17). " Quæ autem Dea ad res ,, omnes *veniat*, Venerem nostri nominaverunt : at- ,, que ex ea potius Venustas, quam Venus ex Ve- ,, nustate (18).

Sabellos demum Venusina Urbe potitos nos docet historia ; at quo tempore Pelasgi Venusinam Sabellis tradiderint Urbem, cum Dionysius, ceterique sileant, equidem adfirmare non ausim ; scio tamen tamdiu Sabellos Urbem illam incoluisse, donec eos pelleret Romanus . Quæ autem de Sabellis accepimus, hæc sunt. (19) Zenodotus Troezenius Umbros

bros ex Reatinis Terris pulſos, & alio ſe transferre coactos, Sabinos deinde appellatos fuiſſe narrat. At Porcius Cato (20) ex Sabino Sanci Filio dictos refert: Sancus enim Curetium locorum erat Genius, Fidiuſque a nonnullis vocabatur. Ovidius: (21)

Quærebam nonas Sanco, Fidione referrem,
An tibi, Semo Pater: tum mihi Sancus ait:
Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo;
Nomina trina fero: ſic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali conſtituere jugo.

de Sanco Sabinorum Deo vide etiam Livium (22). Sabinorum progeniem Samnites fuiſſe Strabo nobis eſt auctor (23). Ἐςὶ δὲ καὶ παλαιότατον γένος, οἱ Σαβῖνοι καὶ αὐτόχθονες. τούτων δὲ ἄποικοι Πικεντῖνοί τε, καὶ Σαμνῖται. Deductarum ſane coloniarum cauſam idem indicat Strabo. Horrendum Sabinos, Etruſcoſque inter exarſerat bellum, cumque victores Sabini fieri cuperent, quæ illis eo nata forent anno, diis vovere ſtatuerunt: bello dehinc exacto, cum promiſſis non ſtetiſſent, obortaque calamitate, Marti natos omnes ſacros fecere. At poſtea, quum adoleviſſent, Tauro creato duce, ut ſe in Opicorum regionem trasferret, tunc Sabelli fuerunt nuncupati (24). Quam vero potentes opibus, armiſque validi, procedentibus inde temporibus, evaſerint ipſi Sabelli, ſive Samnites (idem enim ſonant) ipſum Samniticum periculoſiſſimum bellum ancipiti Marte per Fabios & Papirios geſtum, ipſæ Caudinæ Furculæ teſtantur (25). Romanus equidem ex Samnite bellicam didicit artem, qua cum poſtea univerſum ſubegit Orbem, eodem fatente

C. Cæſare coram ipſo Romano Senatu (26). Gentemque Samniticam, ut opulentam Florus oſtenderet, aureis, & argenteis armis, diſcolorique veſte tunc temporis uſam narrat (27). Hinc Horatius (28) Romanos eo colonos deductos ait, Sabellis jampridem Venuſia expulſis. Sciendum tamen eſt Gallorum etiam quoſpiam Venuſiam fortaſſe advectos, quum anno U. C. CCCLXXXVIII (29) in Albano agro ii a M. Furio ingenti clade profligati, ac cæſi, palati alii Apuliam maxime petentes, cum fuga ſe longinqua, tum quod paſſim eos ſimul pavor, terrorque diſtulerant, ab hoſte ſe ſe tutati ſint. Licet tamen inſequenti anno congregari eos jam fama erat, cum tamen quid inde actum ſit, hiſtoria ſileat, in Apuliam remanſiſſe conjicimus. Ceterum Gallorum aliam multitudinem Apuliam etiam petiiſſe Camillo,& Claudio Coſſ. ex Livio conſtat. (30)

CA-

(1) *Geneſi X.* 4. 5. (2) *Joſepb lib.* 1. *Euſebius in Chron. ceterique rerum harum ſcriptores.* (3) *Bochart. p. pr. Phaleg. lib.* 3. *Cap.* 5. (4) *Joſeph. lib.* 1. *Cap.* 11. Ex Javan Jonia, & omnes Græci orti ſunt. (5) *Ceteris prætermiſſis Vellejum Paterculum vide lib.* 1. *Cap.* 4. (6) *Fragm. apud Fabricium in Biblioth.*, *&* *apud Scalig.*, *&* *alibi* (7) *Euſebius in Chronico.* (8) *Sive Chronicon Alexandrinum.* (9) *Dionys. Alic. Antiq. Rom. lib.* 1. (10) *id. Dionyſ. lib.* 1. *pag.* 16. *Edit. Sylburg. Lipſ.* 1691. *Pelaſgorum adventus ſeptingentos, duos, & quinquaginta annos circiter, ante inſtitutas Olympiadas ab Eruditis accidiſſe dicitur.* (11) Multa vero; & alia Italiæ loca habitabant Umbri, & erat hoc genus in his valde magnum, & antiquum. *Id. Dionyſ. lib.* 1. *pag.* 15. *v.* 33. (12) *Plin. Hiſt. nat. lib.* 3. *Edit. Paris.* 1723. *Cap.* 19. *fol.* 171. *v.* 3. (13) *id. Plin. lib. eod. Cap.* 8. *v.* 15. *fol.* 153., *&* *fol.* 150. *v.* 11. (14) *Dionyſ. lib.* 1. *fol.* 23, *a ver.* 10. *uſque ad* 30. (15) *Serv. ad* XI. *Æneid.*

Vigor.

Virg. apud Cluer. Ital. antiq. lib. 4. *Cap* 12. *Sane Diomedes multas condidisse per Apuliam dicitur Civitates: ut Venusiam, quam in satisfactionem Veneris, quod ejus in sedes proprias invenire non poterat, condidit: quæ Aphrodisia dicta est, ita Canusium Cynegeticon: quod in eo loco venari solitus erat*. (16) *Macrob. Saturnal.* (17) *Cic. de Nat. Deor.* 2. *fol.* 84. *Edit.* 1659. (18) *Ineptissime igitur Pratillus noster Venusiam ex Venustate potius, quam ex Venere dicit. Via Appia lib.* 4. *Cap.* 5. *fol.* 471. *Ceterum sunt etiam alii, qui Pratillo ineptiores, ex Venilia Dauni uxore, vel ex vini copia, vel ex aquarum venis Venusinæ urbis nomen factum putant. Quæret quis forte, cur ego Pelasgos Urbem Venusiam statuisse scripserim, cum omnes a Diomede conditam putarent, Servii decepti sermone: responsum dabo lubentissime: Latini Scriptores, cum scirent Diomedem Appulas terras appulisse Conjugis Ægialeæ iram fugientem, Urbium pæne omnium illius regionis, quarum ævitates ignorabant, conditorem ipsum credidere, ea potissimum conjectatione inducti, quod Græcas fere omnes cognoscerent. Nos vero cum Servii historiam ineptiis scatere comperimus, Diomedis ætatem ideo Venusiam Urbem præcellere credimus, quod nempe compertum quidem haberemus Romanos antiquissimam Urbem eam existimasse*. (19) *Apud Dionys. Antiq. Rom. lib.* 2. *fol.* 112. Ζηνόδοτος δὲ Τροιζήνιος συγγραφεὺς Ὀμβρικῶ ἔθνος *&c.* (20) *Lib. eod. v.* 49. *eod. fol.* (21) *Ovidius Fastorum lib.* 6. *v.* 214. (22) *Livius lib.* VIII. *Cap.* 18. (23) *Strabo lib. v. fol.* 349. Est vero & antiquissimum genus, qui Sabini, & Aborigines, horum vero progenies & Picentini, & Samnites. (24) *Idem Strabo, eod. lib.* (25) *Liv. lib.* 9. *Cap.* 1. *Luc. Flor. lib.* 1. *Cap.* 19. (26) *Apud Sallust. Bello Catilin.* (27) *Florus lib.* 1. *Cap.* 16. (28) *Horat. Sermon. lib.* 2. *Sat.* 1. (29) *Liv. lib.* 6. *Cap.* 28. (30) *Anno scilicet* 406. *Liv. lib.* 7. *Cap.* 18.

CA-

CAPUT II.

De situ Venusiæ.

AT quorumnam Urbem Venusiam dicemus? nam si Latinos, Græcosque percurramus scriptores, inter se dissentientes inveniemus. Strabo omnium primus Samnitium eam fuisse Urbem autumat: (1) ἐν Γρουμεντὸν δὲ καὶ Οὐερτῖναι, τῆς μεσογαίας εἰσὶ, καὶ Καλασάρνα, καὶ ἄλλαι μικραὶ κατοικίαι, μέχρι Οὐενουσίας πόλεως ἀξιολόγου, ταύτην δὲ οἶμαι, ἐν ταῖς ἐφεξῆς ἐπὶ Καμπανίας ἰόντι Σαμνίτιδας εἶναι. Recte equidem eum sensisse dicimus, cum a Sabellis inhabitatam accepimus: nec de Strabone quereremur, nisi in Lucanorum, Samnitiumque confinio eam postmodum positam dixisset. (2) ἐν ταύτῃ (Ἀππίᾳ ἄρα δὲ ὁδῷ) δὲ πόλις Οὐερία τε, καὶ Οὐενυσία, ἡ μὲν μεταξὺ Τάραντος, καὶ Βρεντεσίου· ἡ δὲ ἐν μεθορίοις Σαυνιτῶν, καὶ Λευκανῶν. Hac tamen in re pluris erunt nobis Plinii, Italorumque aliorum sententiæ, quam quæ Strabo, ac reliqui Græci affirmant. Res tamen postulat, ut Horatio præcipuo utamur teste; ipse sane cum sit Venusinus, Strabonis num stet sententia, satis aperte indicabit. Sermonum hic libro ait: (3)

.... equor hunc Lucanus, an Appulus anceps.
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.

Ego plane nescio, cur Appulum, an Lucanum se dici Horatius ambigeret; quod nempe Venusinus Lucaniæ etiam fines araret? nisi satis appareret Satyricum sceptico loquendi more usum. Vide egregium ipsius Poetæ locum (4), ubi Apollinem laudans, & ex eo se edoctum pronuncians, patrocinium a Deo implorat.

Do-

Doctor argutæ fidicen Thaliæ,
Phœbe, qui Xanto lavis amne crines,
DAUNIÆ defende decus CAMOENÆ,
Levis Agileu.

Sciebat equidem ſane Venuſiam Apuliæ Urbem eſſe, & Apuliæ Dauniæ. Cur enim ſe ad Aufidum natum dicit? cum Aufidus fines Lucaniæ non attingat? oritur namque apud Coſſam in Hirpinis, & (5) fluviorum ſolus Apenninos ſecans, & Apuliam alluens Jonium (6) attingit Pelagus. (7)

Ne forte credas interitura, quæ
Longe ſonantem natus ad Aufidum,
Non ante vulgatas per arteis
Verba loquor ſocianda chordis.

Et alibi a Melpomene lauream petens, carmina ſua ob excellentiam quotidie ab Sacerdotibus cani ait: (8)

Dicar quo violens obſtrepit Aufidus.

Quid igitur Venuſiam Apuliæ Urbem fuiſſe eum dubitaſſe credendum? At Deus immortalis in quem Horatii difficillimum incidimus locum! (9)

Me fabuloſæ Vulture in Appulo
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo, fatigatumque ſomno
Fronde nova puerum palumbes
Texere, mirum quod foret omnibus.

Quem antea Apuliæ montem Vulturem vocaverat, extra Apuliæ limina heic eſſe ſubdit! pugnantia hæc quiſnam Horatium ſcripſiſſe credat? Equidem locus hic eruditorum quamplurimorum mentem torquet. Bentleus quorumdam ſententias refert, qui cum in confiniis Vulturem ſitum ſcirent, partem ejus Apuliæ, partemque Lucaniæ adſcripſerunt, cum ipſe

 (Hora-

(Horatius ſcilicet) in parte, quæ Apuliæ erat, tunc temporis eſſet, συνεκδοχῇ Apulum vocavit montem, quem poſtea extra limen dixit, quum ad Lucaniæ partem reſpexerit. At Benteleus:
„ Hæc illi, ſed miſeret me Horatii, ſi tali auxilio, & iſtis defenſoribus eget. Quid enim? Quis in proletario quovis Poeta ferret, & in unam ſententiam hæc ἐναντιοφανῆ congeret? Eſto, ut pars Vulturis in Lucaniam pertigerit (quod tamen non probant) & hoc voluerit Horatius; certe in eodem loco, & in eodem verſu non totus mons dicendus fuerit Apulus ". Remque ut Bentleus ratione certam faceret, Apuliæ vocem in poſteriori verſu, vel aliter legendam, *Aquiliæ* ſc. &c., vel codices alios, in quibus aliter ſcriptum ſe inveniſſe fatetur, ſequi oporteret:

Nutricis extra limina *ſedulæ*.

Quam vero inſulſæ, ineptæque ſint hæ conjectationes quiſquis ſat videt: equidem in animum inducere neſcio poſteriorem verſum in aliis codicibus immutatum inveniri. Ego ſane exiſtimo exſcriptores, vel in priori verſu erraſſe in voce extrema, quum ab Horatio ſcriptum fuerit *Vulture* in *Arduo*, quod ſi ita eſſet, cum Vultur ſit extra Apuliæ limina, Venuſinos, qui eum colebant, Lucaniæ fines recte araſſe ſcribit: vel in ſecunda verſus poſterioris voce; ita ut ex Horatio ſcriptum.

Me fabuloſæ Vulture in Appulo;
Qui altricis extat limen Apuliæ;

qui Vultur ſcilicet extat limen &c., quod mihi probabilius videtur: priori enim ſententiæ obſtant ejuſdem Poetæ verba: (10)

Inci-

Incipit ex illo (*) monteis Apulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus, & quos
Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trevici
Villa recepisset.

Mihi,cum Beneventi essem, Horatii hos reminiscenti versus, Vultur tantum ex Apulis montibus longe sese obtulit, Garganus enim Æcæ suprastantibus impeditur montibus. Acro, ceterique antiqui Grammatici Vulturem Apuliæ fatentur montem (11), ipsumque Lucaniæ, Peucetiorum, Daunorum, Hirpinorumque confinium posuerunt. Si igitur stat, quam proposuimus, lectio, quis Apuliæ montem Vulturem audeat negare? ideoque quas numeravimus regiones, montis radices tantum attingere, si Daunos excipias, qui totum pene eum habent. At cur tantum immorati in Apuliæ monte, Vulture definiendo: forsan, ut ex eo Venusiam Apuliæ ostenderemus Urbem? talem eam fuisse, satis abunde ex Horatio ostendimus, cui si addas Plinium nostrum, proculdubio lis erit dirempta. In secunda igitur Italiæ regione eam refert, quæ Hirpinos, Calabriam, Apuliam, Salentinos amplectitur: at non Lucaniam. Dicet hic aliquis, ab Augusto tum primum huic regioni adjectam, in qua, cum sint etiam finitimi Hirpini, hinc dubium est, an Samnitium, vel Apulorum Plinius fecerit. Quæso tamen, audiamus quibus ipse utatur verbis: (12) *Dauniorum præter supradicta, Coloniæ, Luceria, Venusia*. Scio equidem Ptolomæum Ἀπυλῶν Πδύκετίων μεσόγειοι Οὐενυσία, Κιλία, scripsisse. At quis eum errasse in tanta luce ambiget? Hæc ut Venusiam, Dauniorum ostenderemus Urbem satis esse possunt. Ceterum ut de Urbis situ pauca attingamus, fa-

 teor

teor equidem, me usque adhuc nondum vidisse ex antiquis Urbibus Venusiæ nobiliorem, pulchriorem, mirabilioremque situm. In colle enim sita est ad Vulturis montis radices, interque duas amœnas valles extat, quæ quater in anno floribus vernant, quarum una, quæ orientem prospectat *Regali* irrigatur rivulo. Collis ipse in quo Urbs est posita meridiem versus altiorem montis attingit partem, at ex Septentrione ipsi planicies subjacet immensa, quæ ad Aufidum usque protenditur. Venusino solo equidem nihil uberius, fert enim frugum genus omne: adjacens ab occidente Vultur vitibus, glandiferisque amictus silvis, venationis copiam, victusque omnigeni abundantiam Urbi præbet. Nec reticere possum nigræ betæ bulbos magnitudine, ac excellentia ibi esse prorsus mirabiles, præstantioresque iis, quos Plinius (13) ex Circejensi agro provenisse narrat. Sex pæne ab Urbe stadios occidentem versus videre est Vulcani Forum, ubi licet eructiones superne non videas, in ipsis tamen terræ visceribus ingentes strepitus, ac mugitus, non sine horrore magno audias. manant ex eo loco sexcenti mineralium aquarum fontes, omnes fere colore, ac virtute inter se diversi: sulphurea planicies pene similis est Puteolanæ, at non circumdata montibus. Ex ipso Vulture minerales etiam aquæ manante. Vulturis nomen in aliquibus Horatii codicibus *Voltur* legitur, illudque Etruscum fuisse omnino mihi videtur; & ex eo Romanis Vulturnus ventus, quem Hannibalis ævo ab ipsis ita nominatum puto, licet Livius incolas regionis eum jam ita vocasse scribat. Hic ventus adversus Romanos coortus (14) multo pulvere

in

in ipsa ora volvendo prospectum ademit, ut æquo Marte cum Poenis pugnarent, Laudantur etiam ab Horatio Venusinæ Sylvæ, quæ Urbis pomœria pene attingunt.

(15) ..... sic quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Experiis, Venusinæ
Plectantur Sylvæ ....

Venusinos præterea fines adlabitur Aufidus, quem forte Greci dixere ἀπὸ τῦ αὐφεῖδεσθαι, *contra parcere*, quodque sonare Horatii verba apparet: (16)

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni perfluit Appuli,
Cum sævit, horridamque cultis
Diluviem minitatur agris.

Ejusque immanitatem alibi sic commemorat: (17)

Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.

Aufidum, ac Vulturnum fluvios Apuli Regni principes esse nemo est, qui ambigat, ambo navigabiles, violentior tamen Vulturno Aufidus: (18)

Dicar, qua violens obstrepit Aufidus.

Ed alibi (19)

Longe sonantem natus ad Aufidum.

Fluunt tamen undique in Venusino agro aquarum Torrentes, qui omnes Aufidum ingrediuntur, quorum neminem nec Daunum, nec Vergellum Romanorum cadaverum ponte celebrem esse credo. (20) Hæc de situ & soli natura dixisse sufficiat, videamus modo Reipublicæ Venusinæ fortunam.

(1) *Strabo lib.6. fol. 390.* Et Grumentum, & Vertinæ mediterraneæ sunt, & Calastarna, & aliæ parvæ habitationes, usque Venusiam Urbem sermone-dignam: hanc vero existimo, & omnes ordine Campaniam euntes Samniticas esse. (2) *idem Strabo lib. 6. pag. 433.* In hac vero

(Appia

(*Appia scilicet via*) & Civitas Uria , & Venusia , illa vero inter Tarentum, & Brundusium, hæc autem in confiniis Samnitium, & Lucanorum. (3) *Sermon.* 2. *Sat.* 1. *vers.* 34. (4) *Carm. lib.* 4. *Ode* 4. (5) *Polyb. Histor. lib.* 3. (6) *Dionysius* Οἰκυμένης περιήγησις.

Ναὶ μὴν καὶ τετάνυσαι Ἰηπυγίην ἐπὶ γαῖαν,
Κεῖθεν δὲ εὐρυνθεῖσα πταίνεται Ἀδρίας ἅλμη
Πρὸς βορέην· αὖθις δὲ πρὸς ἑσπέριον μυχὸν ἕρπει,
Ἥντε καὶ Ἰονίην περιναιέται ηὐδάξαντο.
Διοσσὰς δὲ ἠπείροις ἐπιπλάζεται· ἧς μὲν ἰόντι
Δεξιτέρην κατὰ χεῖρα φαείνεται. Priscianus vertit.
Hoc mare Gargani concludit Japygis ora,
Illic incipiens extenditur Hadria vastus.
Ad Boream penetrans pelago, solemque cadentem.
Ionius pariter sinus hic perhibetur ab orbe.
Dividit & geminas diversis partibus oras.
Quas tamen extremas conjungit terminus unus.

paulo post idem Dionysius Hadriaticum mare Uria ad Garganum, & Tergeste contineri testatur. (7) *Hor. Carm.* 4. *Ode* 9. (8) *Carm. lib.* 8. *Ode ultima.* (9) *lib.* 3. *Ode* 4. *ibi Richardus Bentleus.* (10) *Horat. Serm. lib.* 1. *Sat.* 5. *vers.* 76. (*) *Benevento scilicet.* (11) *Vultur Mons inter Apennini juga adcensetur: ita enim habet C. Sempronius de divisione Italiæ, cujus libri fragmentum inter Antiquitatum Variarum Auctores Lugduni anno* 1552 *exaratos, videre est. Sunt ejus verba. Universa Italia a jugis Alpium oritur, & in Leucopetram, fretumque Siculum terminatur. Cingitur Supero, & infero Mari, & secatur Apennino, qui a jugis Alpium ortus, per mediam Italiam a Liguribus ad Anconam porrectus, inde paulatim usque Venusiam reflexus, ibi ex transverso dividit Italiam, ex altera parte Brundusium, altera Veliam attingens, circum Sinum Tarentinum, quem Ausones primum, inde Aborigines Græci, post Oenotrium Arcadem tenuere* (12) *Plin. Hist. nat. lib.* 3. *cap.* 14. *vers.* 1. *fol.* 166, & *fol.* 167. *vers.* 9. (13) *Plin. hist. nat. lib.* 19. *cap.* 40. *fol.* 176. (14) *Liv. lib.* 22. *cap.* 26. *Sciendum sane est Vulturnum ventum Eurum Græcis dictum: ait enim Plinius lib.* 2. *cap.* 46. *fol.* 96. *vers.* 19. *Ab oriente æquinoctiali subsolanus: ab oriente brumali Vulturnus: illum Apelioten, hunc Eurum Græci appellant. Huc usque Plinius: at Euros plures Græcos adnumerasse procul est dubio. Aristoteles enim, sive quisquis est auctor libri de Mundo cap.* 4. *pag.* 852. καὶ οἱ μὲν ἀπὸ ἀνατολῆς σύνεχεῖς, Εὖροι κέκληνται...

Τῶν γε μὲν Εὐρῶν καικίας μὲν λέγεται, ὁ ἀπὸ τοῦ περὶ τὰς θερινὰς ἀνατολὰς τόπου πνέων ἄνεμος . . . Εὖρος δὲ ὁ ἀπὸ τοῦ περὶ τὰς ἰσημερινὰς &c., & fusius Aristoteles idem Meteorologicorum lib. 2. cap. 6. fol. 794. & 795. Ceterum Aristoteli adsentitur Seneca nat. quæst. lib. 5. cap. 16. his verbis. Ab oriente hiberno Eurus exit: quem nostri vocavere Vulturnum. Et Livius hoc illum nomine appellat in illa pugna Romanis parum prospera, in qua Hannibal, & contra solem orientem exercitum nostrum, & contra ventum constituit: cum venti adjutorio, ac fulgoris præstringentis oculos hostium vicit. Varro quoque hoc nomen usurpat. Sed & Eurus jam Civitate donatus est, & nostro sermone, non tanquam alienus intervenit. Ab oriente solstitiali excitatum, Græci καικίαν appellant, apud nos sine nomine est. Hæc sane sunt Senecæ verba: at Græcorum distinctionem sequutus est quidem Gellius lib. 2. cap. 22. his verbis. Qui ventus igitur ab oriente verno, idest æquinoctiali venit, nominatur Eurus ficto vocabulo, ut isti ἐτυμολογικοὶ ajunt ἀπὸ τῆς ἕω ῥέων. Is alio quoque a Græcis nomine ἀπηλιώτης, a Romanis nauticis subsolanus cognominatur. Sed qui ab æstiva, & solstitiali orientis meta venit: latine Aquilo, boreas Græce dicitur, eumque propterea quidam dicunt ab Homero αἰθρηγενέτην appellatum. Boream autem putant dictum ἀπὸ τῆς βοῆς, quoniam sit violenti flatus, & sonori. Tertius ventus qui ab oriente hiberno spirat Vulturnum Romani vocant: cum plerique Græci mixto nomine quod inter Notum, & Eurum sit Εὐρόνοτον appellant. Hi sunt igitur tres venti orientales, Aquilo, Vulturnus, Eurus, quorum medius est Eurus. Nomen vero Vulturni tunc demum Euro datum puto, cum Romani illo affecti vento a Chartaginensibus profligati fuere. Nec enim quid celebre in Vulturno oppido Romani egerunt, ut ex Vulturno potius oppido, quam ex Vulture monte, Euro nomen darent. Ceterum hac in re exponenda mire labitur Harduinus in notis Plin. pag 96. putat enim Vulturnum alterum Capuæ nomen fuisse, ac Romæ Valentia, Livii nixus corruptissimo loco. Diversum quidem sane fuit Vulturnum Oppidum a Capua, immo Romanorum eo Colonia est deducta, ante quam Capua Præfecturæ conditione liberaretur. Hallucinatur etiam Harduinus cum Romam Valentiam dictam ait, scribi enim potius oportuerat, Valentiam Hispaniæ Urbem aliquando Romam dictam. Ceterum ut ad rem redeam Vulturnum ventum contra facit Horatii Atabulus, quem dictum antiqui Grammatici putant, quia τὴν ἄτην βάλλει (quod afferat nempe, vel injiciat

ciat pestem, sive nocumentum). *Venti hujus naturam Gellius lib.2. cap.22. exponit his verbis. Præter hos autem, quos dixi, sunt alii plurifariam venti commenticii, suæ quisque regionis indigenæ, ut & Horatianus quoque ille Atabulus, quos ipse quoque executurus fui. Addidissemque eos, qui Etesiæ, & Prodromi appellantur: qui certo tempore anni, cum canis oritur ex alia, atque alia parte cæli spirant. Et quidem tunc tantum Apuliæ torret Campos Atabulus, cum*

Venit enim tempus, quo torridus æstuat aer,
Incipit & sicco fervere terra cane.

Etesium proinde etiam Atabulum ventum dixerim. Cum igitur occiduus sit Atabulus (opponitur enim Vulturno) eundem ac Zephyrum, sive Favonium esse patet. Ceterum ni vere Favonius sit Atabulus, erit quidem certe Zephyrargestes, ideoque Euronotum contra omnino faciet: hinc est, quod Homerus maris describens tempestatem dicat.

Σὺν δ' Εὖρος τ' ἔπεσε ζέφυρός τε νότος τε δυσαὴς.
Καὶ βορὲης αἰθρηγενέτης μεγα κῦμα κυλίνδων.

(15) *Hor. Carm. lib.*1. *Ode* 28. *vers.*25. (16) *idem lib.*8. *Ode* 14. (17) *Sermon. lib.*1. *Satyr.*1. *vers.*58. (18) *lib.*3. *Ode ultima.* (19) *Ode* 9. *lib.* 4. (20) *fluunt in Venusino Agro* Oliventum, *qui Atellam prope surgit*. Flumana, *quæ in Forentino oritur solo*, & Rendinam Tabernam *prope unitur* Olivento, *qui in loco* Scarabottolo καλύμενῳ *in Aufidum fluit, novem passuum millia a Venusia, orientem versus: ipsum Oliventum sua in origine* Ripæ-Candidæ *flumen appellatur. Sunt etiam & alii rivuli observatione quidem minus digni.*

CAPUT III.

Reipublicæ Venusinæ fortuna.

SAmnitium gentem, quam Populus Romanus Fabio, Quintioque Coss. fœdere in societatem acceperat (1) undecimum post exactum annum precibus Campaniæ motus invasit (2). Ea tum temporis universae genti, quæ Aternum sequitur amnem ad usque fretum Siculum, si Tarentinos, paucosque excipias aliquos, sive fœdere, sive quibusdam modis aliis dominabatur. Romanorum quiescentibus armis Samnitibus bellum Alexander Epeiri Rex praebuit (3), & cum eo sæpius prope Venusiam dimicatum, colligere est ex Livio, aliisque (4). At Alexandro interfecto, cum Romanorum denuo reviviisceret bellum, anno ab V. C. CDXXIX Lucani atque Apuli [quos inter, quis neget Venusinos?] quibus gentibus nihil ad eam diem cum Pop. Romano fuerat, in ejus fidem venerunt, arma, virosque ad bellum pollicentes, fœdere ergo in amicitiam accepti (5). Repente tamen Tarentinorum fraude ducti a Romanis deficiunt, societatemque cum Samnitibus renovant, obsidibusque datis, & præsidiis in loca munita ab iisdem acceptis (6). Apulis tamen C. Sulpicio, Q. Aimilio Coss. (7) primum bellum illatum. Sulpicio in Samnium profecto, Apuli Aimilio sorte evenerunt, res tamen memorabilis nulla est acta. ager Apulus, Samnitiumque evastatum, hostes, nec hic, nec illic inventi. Bellum vero ad insequentem an-

num in Apulia prolatum Fabio, Fulvioque Coss., Capitolinæ ostendunt tabulæ [8], ex quibus de Apulis Fabium triumphatum accipimus.

Q. FABIUS. M. F. N. N. MAXIMUS. RULLIAN. AN. CDXXXI. DE SAMNITIBUS ET APULEIS XII KAL. MARTII

Livius, cum eo anno bellum a Dictatore Cornelio Arvina gestum dicat, subjungit tamen. (9) „ Hoc bellum a Coss. bellatum quidam auctores „ sunt, eosque de Samnitibus triumphasse. Fa„ bium etiam in Apuliam processisse, atque in„ de magnas prædas egisse.

Eo sane anno, quo Caudina res fuit acta, Apulia quievit. At anno insequenti Papirius Cos. in Apuliam pergit, & Samnites, qui ad Luceriam castra habebant adortus, ira, ignominiaque stimulatus, ingenti clade fudit. Publilius deinde Cos. alter ad peragrandam profectus Apuliam, aliquot expeditione una populos, aut vi subegit, aut conditionibus in societatem accepit (10): bellumque ad Foslii, Plautiique Consulatum (11) productum, fecit, ut Apuli Teanenses, & Canusini populationibus fessi, L. Plautio Cos. obsidibus datis, in Romanorum ditionem venirent (12). Livio tamen rectius Diodorus (13) *Romani* ἐπόρθησαν δὲ καὶ τὴν Απυλίας τῆς Δαυνίαν πᾶσαν, καὶ προσαγαγόμενοι Κανυσίους, ὁμήρους παρ᾽ αὐτῶν ἔλαβον. Quod si Apuli Teates Foslio, Plautioque Coss. in Romanorum ditionem venerant, cur sequenti anno ad novos Coss. foedus petitum ivere? pacis per omnem Apu-

Apuliam praeſtandæ, audacter P. Romano ſe ſpondendo auctores (14). Eo ſane anno Venuſiam circum magis bellum, quam alibi conſtitit. Livius enim Cos. Junium Acheronto valido oppido potitum, & Apulia perdomita in Lucanos porrectum narrat: Apuliæque pene totius domitæ argumento eſt Legiones Papirio, & Publio, IV ambobus, Coſſ. inde traductas (15). Diodorus hoc anno Luceriam prope magnis viribus dimicatum dicit, ſed qua ratione, alibi ſcripſimus: hic tamen Livii ordinem ſequuti, Poetelio, Sulpicioque in Apulia dimicatum dicimus. Diodorus etiam Cannam Urbem ab hoſtium terrore liberatam a Conſulibus ſcribit; Ita ſane legendum puto Diodori locum (16) περὶ Κάνναν πόλιν (Κάνναν ſcilicet) Biennio ſane Apulorum res quieviſſe, cum ſileant hiſtorici, nos ſane credimus. At Junio tertium Aimilioque iterum Coſſ. (17) ex Diodoro Samnites in Apulia cæſos accipimus, triennioque interjecto, Marcio, Cornelioque Coſſ. (18), Sylvium Urbs capta, Samnitiumque ager evaſtatum, cumque adhuc Samniticæ rei addictam Venuſiam accipimus, ejus etiam agrum ideo vaſtatum credimus.

Quinquennio ſane Samniticum obdormierat bellum: At rurſus a Romanis Lucanorum, Picentinorumque cauſa indictum, Scipione, Fulvioque Coſſ. (19), quo in bello Venuſini maximam habuiſſe partem procul dubio mihi videntur: ea tantum enim Urbe Lucanis Samnites infeſti eſſe poterant: Romani Apulia fere omni potiebantur: ex quo igitur Apulorum exercitus? quos Maleventum prope Livius cæſos narrat, niſi ex Venuſia, aliiſque paucis Apuliæ locis, quæ in Samni-

tium potestate remanserant? Eo sane anno Fabius Maximus IV Consulatum agens (20), acerrimum dum committebat cum Samnitibus prælium, ut hostium animos terreret, hastatos primæ Legionis ex acie subtrahens, quam potuit occultissime ad montes proximos circumducere jussit, qui tamen dum pugna acrius consereretur, averso hosti a tergo se ostenderent. Eos postmodum ex montibus improvise descendentes, Fabius Decium collegam appropinquantem exclamavit esse; dumque vi tantum in hostem nil perfici ratus, consilio etiam grassatum in eum fuit. Cum Samnitibus Apuli ante prælium conjunxissent, ni P. Decius Cos. alter, iis ad Maleventum castra objecisset, extractosque deinde ad certamen fudisset: ibi quoque plus fugæ fuit, quam cædis. Duo millia Apulorum cæsa: spretoque eo hoste, Decius in Samnium legiones duxit (21). Insequenti quoque anno Apuliam etiam prope Ferentinum bellum attigisse docemur [22]; quam tamen, dum Claudius, Volumniusque Consulatum agerent (23), præliis immunem accipimus. At clades a Samnitibus acceptæ, Fabio, Decioque Coss. (24) quas Livius refert, eos in Apuliam coegere (25), eorumque ita accendit animos, ut tristem eventum Romanis rebus darent. Ad Aquiloniam tamen, Papirio Cursore Cos. cui Carvilius conlega datus, Romanorum armis honos redditus: eoque anno, ita imminutæ Samniticæ a victore Romano res fuerant, ut pene finitas crederes; paucæ quidem Urbes suberant, quas inter præcipue Venusia: qua demum capta, de Samnitibus actum vides.

Universa demum a Romanorum armis Apulia

lia occupata, Venusiam potissime circum, & in Hirpinis Fabio, Junioque Coss. [27] ingentibus cladibus bellatum: insequentibus Coss. (28) exercitus denuo in Samnium missi, & Fabio proconsulare prorogatum imperium. (29) Novis igitur Consulibus (30); L. Postumius Megellus II, quippe cum nobili ortus genere, geminumque obtinuisset Consulatum, antequam castris abiret, ita se insolenter, superbeque in Urbe gesserat, ut C. Junius Bubulcus conlega homo novus, genereque plebeo, hominis insania cognita, licet ægre, illi tamen se submiserit, Samniticumque bellum ei etiam extra sortem concesserit. Cominium Postumius primum petiit, quem a Fabio Proconsule jam primum obsideri senserat, eaque Samnitium ingenti clade capta, ad Venusiam nostram contendit.

CA-

(1) *Liv. lib.* 7. *Cap.* 12. *A. V.* C. 401. (2) *idem Liv. lib.*7. *Cap.*21. *A. V.* C. 412. *Flor. lib.*1. *cap.*16. (3) *Liv. lib.*8. *Cap.*15. *A. V.* C. 423. (4) *Liv. lib.*8. *Cap.* 21. *V.* C. 429. (5) *Liv. lib.* 8. *Cap.* 22. (6) *Liv. lib.* 8. *Cap.* 23. (7) *Liv. lib.* 8. *Cap.* 30. *A. V.* C. 431. (8) *Sigon. Fast. Coss. Panvin. Fast. Coss. A. V.* C. 431. *qui annus Livio est* 432. (9) *Liv. lib.* 8. *Cap.* 31. (10) *Liv. lib.* 9. *Cap.* 9. *A. V.* C. 434. (11) *A. V.* C. 436. (12) *Liv. lib.* 9. *Cap.* 12. (13) *Diodcr. Sic. Blibioth. lib.* 19. *Olymp.* 113. *anno* 4. (14) *V.* C. 437. (15) *Liv. lib.* 9. *Cap.* 14. (16) *Diodor. Sic. Olymp.* 118 *anno* 3. (17) *A. V.* C. 443. (18) *Liv lib.*9. *Cap.* 31. *A. V.* C. 447. (19) *Liv. lib.* 10. *Cap.* 11. *A. V.* C. 457. (21) *Liv. lib.* 10. *Cap.* 9. (22) *Liv.* 10. *Cap.* 11. (23) *Liv. lib.* 10. *Cap.* 11. *A. V.* C. 457. (24) *V.* C. 458. (25) *Liv. a Capite* 18. *lib.* 10. *ad* 25. (26) *Liv. lib.* 10. *Cap.*27. *A. V.* C. 460. (27) *Liv. lib.*10. *Cap. ult. V.* C. 461. (28) *Liv. Epit. lib. XI.* (29) *Paul. Oros. lib.* 3. *Cap.* 20. (30) *Fragm. Dionys. Alic.*

C A P U T IV.

De Colonia Venusina.

INvictum usque adeo Venusinum novimus, at gloriam tot bellis, tantisque cladibus partam, Postumii furor, Romanorum robur, ac virtus imminuit; Cominii igitur Romanus victor exercitus, Postumii opera, Venusina Urbe expugnata, eam tandem vi cepit. Quod cum Senatus Romæ rescivisset, Coloniam ibi mittendam statim censuit: deducendæ sane Coloniæ honos Postumio denegatus, quem ingens fastus, gloria ex re bene gesta parta omnino privavit. De Colonia igitur Venusia primum missa attentius paulo disquirendum.

Dionysius primo nobis occurrit, cujus fragmentum ex Auctore *de Legationibus* integrum, ut hic apponeretur curavi (1) Ὅτι ὁ αὐτὸς Ποστόμιος, πρῶτον μὲν τὸ Κομίνιον ἐκ πολιορκίας παραλαμβάνει, χρόνον οὐ πολὺν ἐν ταῖς προσβολαῖς διατρίψας. ἔπειτα Οὐενουσίαν πολυάνθρωπον, καὶ ἄλλας πόλεις πλείστας ὅσας. ἐξ ὧν μύριοι μὲν ἐσφάγησαν, ἑξακισχίλιοι δὲ καὶ διακόσιοι τὰ ὅπλα παρέδοσαν. ταῦτα διαπραξάμενος οὐχ ὅπως χάριτος ἢ τιμῆς τινὸς ἠξιώθη παρὰ τῆς βουλῆς, ἀλλὰ καὶ τὴν προϋπάρχουσαν ἀξίωσιν ἀπέλαβεν· ἀποστελλομένον γὰρ εἰς μίαν τῶν ἁλουσῶν ὑπ᾽ ἐκείνου πόλεων τὴν καλουμένην Οὐενουσίαν δισμυρίων ἐποίκων, ἕτεροι τῆς ἀποικίας ἡρέθησαν ἡγεμόνες· ὁ δὲ τὴν πόλιν ἐξελὼν, καὶ τὴν γνώμην τῆς ἀποστολῆς τῶν κληρούχων εἰσηγησάμενος, οὐδὲ ταύτης ἄξιος ἐφάνη τῆς τιμῆς. Postumii, Juniique consulatus est Urbis annus (ut Capitolinam sequamur rationem) CDLXII: Olym-

Olympiadis CXXII annus secundus. Tum igitur primum ex libera Civitate, Romanorum Venusia facta est Colonia, quibuscum foedus aliquando habuisse ex iis, quæ jam diximus, ferme late patet. Triumviri Coloniæ deducendæ quinam fuerint, cum Livii, aliorumque Scriptorum deficiant libri, adfirmare non ausim. Unum scio Postumium Consulem hoc honore privatum.

Sed videamus modo, an eadem Velleo sit sententia anni deductæ Venusiam Coloniæ. Si Cluerium audiamus, duos hic antecedit annos, sicque anno CDLX eam deductam adfirmari oportet. Integer Vellei locus hic est: (2) " At Q. Fabio quintum, „ Decio Mure quartum Coss., quo anno Pyrrhus „ regnare cœpit, Sinuessam, Minturnasque missi „ Coloni, post quadriennium Venusiam. Interje„ ctoque biennio M. Curio, & Rufino Coss. „ Sabinis data Civitas, id actum ante annos fer„ me CCCXX ". Q. Fabii V, & Decii IV. Consulatus, in Urbis incidit annum CDLVIII, quibus quatuor additis in CDLXII incidemus, quod cum Dionysii verbis sane congruit. Cum tamen subjungat Vellejus " Interjecto biennio M. Cu„ rio &c..... id actum ante annos CCCXX „ ait Cluerius (3) " at inter duos modo dictos „ Coss. quatuor tantum interjecti fuere anni: „ quapropter mendum his quoque inesse verbis „ credo, scriptumque post biennium (Venusiam „ missi Coloni) idest L. Papirio Cursore, & „ Sp. Carvilio Maximo Coss., anno a R. C. „ CDLX „. Recte equidem Cluerius, at fugerat ipsum aureum Dionysii fragmentum, ex quo evincimur Postumii, Juniique Coss. Venusiam Colonos mis-

miſſos. Ego quidem ut ratione certum faciam mendoſum Vellei locum, ita eum legendum puto. " At Q. Fabio quintum, Decio Mure quar„ tum Coſſ., quo anno Pyrrhus regnare cœpit, „ Sinueſſam Minturnaſque miſſi Coloni, poſt „ quadriennium Venuſiam (interjectoque biennio „ a M. Curii, & Rufini Coſſ. Sabinis ſine ſuf„ fragio data civitas.) id actum ante annos „ CCCXX. „ Et quidem, hiſtoriam ipſe anno DCCLXXXII ſcripſit; anni CCCXX antequam ipſe ſcriberet, in annum CDLXII incidunt, in Conſulatu ſcilicet Poſtumii, Juniique. Quid igitur ex Curii, Rufinique Conſulatu quæras? Rurſus, particulam *A* ſive *ABS* addendam, quam excriptorum incuria omiſſam, cenſeo, nec enim Velleji oratio ſtaret, cum re vera ſexennio Fabii cum Decio, & Curii cum Rufino Conſulatus diſtent. Hæc de anno Coloniæ Venuſiam deductæ.

Colonos præterea bis mille miſſos fuiſſe Dionyſius eſt teſtis, eoſque Cives Romanos inter Tribum Horatiam adſcriptos proculdubio litterati omnes Venuſinæ Urbis lapides oſtendunt, quos infra vides. At quanam de cauſa Venuſiam Colonia deducta? Tres ſane præcipuæ erant deducendarum Coloniarum cauſſæ, vel ſubſidium adverſus rebelles, & imbuendis ſociis ad officia legum, vel ut Romana Civitas egentis, tumultuoſæque Plebis onere levaretur, vel demum ut Veterani remunerarentur. De Venuſia Colonia Horatius ait (4)

Miſſus ad hoc pulſis (vetus eſt ut fama) Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hoſtis,
Sive quod Appula gens, ſeu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Si

Si igitur Romanus eo missus, ut hostium per Apuliam vagantium vim infringeret, rei militaris peritus quidem esse debebat; si enim plebs inermis fuisset, quomodo Romanum tutari posset imperium? Cum vero Milites cives omnes Romanos esse oporteret, vides jam hac Coloniæ deductione, integrum Civitatis Romanæ jus Venusiam etiam delatum. Præterea ex ipsis, quæ adduximus, Horatii verbis, Romanos Venusiam Colonos misisse apparet, ut arcem in Apulia constituerent, & ut Veterani victoria fruerentur. Scio equidem me aperte contra Sigonii sententiam scripsisse, quem omnes sunt secuti: Militares enim Colonias Syllam primum deduxisse, ex Appiano, (5) Sigonius est auctor. Ego licet negare non audeam id quod Appianus refert, ejus tamen verba intelligenda puto, Syllam primum instituisse, ut Veterani tantum in Colonias deducerentur, cum antea liberum fuerit ex plebe Romana, vel ex militaribus viris eas deducere. Ceterum mihi absque dubio est Romanorum Colonias militaribus semper constitisse viris, si primævas exceptes, quas Romulus ceterique deduxere, & quæ, ut faex plebeja exhauriretur, deducebantur; meæque sententiæ Auctor est Vellejus, qui libro primo (*6*) ait. " Deinde neque dum Hannibal in Italia moratur, " neque proximis post excessum ejus annis, vacavit Romanis Colonias condere; cum esset " in bello conquirendus potius MILES, quam " dimittendus, & post bellum vires refovendæ " magis, quam spargendæ ". Miror equidem ἀξιολόγους tot Viros hunc Vellej fugisse locum. Enimvero inter Cremonæ, Placentiæque deductio-

D

ctionem, quæ anno ab U. C. DXXXIV contigit (7) & Bononiæ, quæ anno DLXIV deducta, integrum Punicum in Italiam, Africanumque interjacet bellum, immo Antiocheni belli etiam duo introlapsi sunt anni.

Hæc de Colonia: At de Venusinis quid actum, ego plane nescio: municipes quidem factos non fuisse, sociale bellum ostendit: igitur Italici nominis socios ipsos factos fuisse, ac ideo legum, & sacrorum liberum usum relictum, persuadet mihi munificentia erga Romanos ab Annibale profligatos, quam nimis difficulter egissent, si in subditorum conditionem a Romanis fuissent redacti. Miror equidem clarum virum Campanæ Urbis, in commentariis in mutilum Campani Amphitheatri titulum scripsisse [8.] „ Colonia „ fuit, non Municipium Capua. Tacitus, qui „ histor. III. 57. *municipia*, *coloniæque* dixit, il- „ lud forte ad Puteolos, hoc ad Capuam retulit, „ quam XIII. Annal. 31. Coloniam diserte vo- „ cavit „. Dii immortales! latet forte ἐυφρονεστάτῳ viro omnes fere Colonias, Municipia simul, & Colonias fuisse? ego equidem non persuadeor: at cur ita scripserit, sane nescio.

Et primum Colonia dicta est Civium Romanorum pars, quæ aliquo agro *colendo*, ab Urbe Romana *deducebatur*: nec dubium quidem est, nomen a verbo *Colo* sumpsisse, ex quo Coloniæ sæpe dicuntur prædia rustica, cujus rei sunt testes Cato, Varro, Columella, ceterique, quorum verba margini apposita vide (9), & hoc sane sensu accipiendus est Ulpianus (10) „ Privatæ viæ dupliciter accipi „ possunt, vel hæ, quæ sunt in agris, quibus „ imposita est servitus, ut ad agrum alterius du-

„ cant

„ cant, vel hæ, quæ ad agros ducunt, per quas „ omnibus permeare liceat, in quas exitur de „ via consulari, & sic post illam excipit viam, „ vel iter, vel actus ad villam ducens, has er- „ go post Consularem excipiunt in VILLAS, „ vel in alias COLONIAS ducentes, putem et- „ iam ipsas publicas esse „. Et Paullus, qui de Colono ait „ (11) Nam & qui expulsus a con- „ ductione in aliam se COLONIAM contulit, „ non suffecturus duabus: &c. „ quibus demum Scævolam adde (12), qui ait: „ Quæsitum est, an „ reliqua colonorum, qui finita conductione, in- „ terposita cautione de COLONIA discesserant, „ ex verbis supra dictis legata cedant? „ & infinitas Latinorum Scriptorum auctoritates hic scribere possem, ex quibus rustica prædia *Colonias* vocatas fuisse manifestum est. Ideo igitur Romanorum civium deductiones Coloniæ dictæ sunt, quoniam ad agros devictos *colendos* mittebantur, nec unquam Coloniæ deductionem inveniens sine agri divisione, atque adsignatione, qua de re Appianum audire non pigeat (13) Ῥωμαῖοι τὴν Ἰταλίαν πολέμῳ κατὰ μέρη χειρούμενοι, γῆς μέρος ἐλάμβανον, καὶ πόλεις ἐνῴκιζον, ἢ ἐς τὰς πρότερον οὔσας κληρούχους ἀπὸ σφῶν κατέλεγον. καὶ τάδε μὲν ἀντὶ φρουρίων ἐπενόουν, τῆς δὲ γῆς τῆς δορυκτήτου σφίσιν ἑκάστοτε γιγνομένης, τὴν μὲν ἐξειργασμένην αὐτίκα τοῖς οἰκιζομένοις ἐπιδιῄρουν, ἢ ἐπίπρασκον, ἢ ἐξεμίσθουν· τὴν δὴ ἀργὸν ἐκ τοῦ πολέμου τότε οὖσαν, ἣ δὴ καὶ μάλιστα ἐπλήθυεν, οὐκ ἀγαγόντες πω χολὴν διαλαχεῖν, ἐπεκήρυττον ἐν τοσῷδε τοῖς ἐθέλουσιν ἐκπονεῖν, ἐπὶ τέλει τῶν ἐτησίων καρπῶν, δεκάτῃ μὲν τῶν σπειρομένων, πέμπτῃ δὲ τῶν φυτευομένων· ὥριστο δὲ τοῖς προβατεύουσι τέλη μειζόνων τε, καὶ ἐλαττόνων ζώων.

Cum itaque Coloni dicti sint, quod agros colendos acciperent, hinc vides ad solos Romanos hoc pertinuis-

nuisse nomen, qui in Coloniam deducebantur, non vero Venusinis, sive quibusvis aliis, quorum in agrum deducta Colonia erat, qui si civitate erant donati, Municipes dici oportuit, quod nempe Romanorum MUNEra CAPESsere possent, non vero Colonos, iis enim, nedum novus ager colendus dabatur, sed quem possidebant, adimebatur. Hanc quidem sententiam me Tullius docet in Agraria „ (14) Nam dixi antea lege permitti, ut quæ „ velint Municipia, quas velint veteres Colo- „ nias, Colonis suis occupent. Calenum Muni- „ cipium complebunt, Theanum oppriment &c.„ Vides igitur Cales Municipium appellari, in quam Civitatem jam Sp. Postumio, Veturioque Calvino Coss. Romanorum Colonia deducta fuerat (15). rursus in Pisonem ait „ (16) Hoc non ad con- „ temnendam Placentiam pertinet, unde se is or- „ tum gloriari solet. neque enim hoc mea na- „ tura fert, nec Municipii præsertim de me op- „ time meriti, dignitas patitur ...... O fami- „ liæ, non dicam Calpurniæ, sed Calventiæ, „ neque hujus Urbis, sed Placentini Municipii, „ neque paterni generis, sed brachatæ cognatio- „ nis dedecus, quemadmodum venisti? „ & tamen sub adventum in Italiam Annibalis Placentia Colonia deducta est (17), quod etiam antiquus Ciceronis Scholiastes notat, eamque Tacitus (18) Coloniam virium, & opum validam appellat. Idem etiam Tullius in Epistola ad Brutum (19) „ „ L. Castronius Poetus longe princeps Municipii „ Lucensis est honestus, gravis, plenus &. c. „ & Luca septennio interiecto a Consulatu Cn. Manlii Vossonis, & M. Fulvii Nobilioris Colonia de-

ducta

ducta est (20). Sextum Pompejum etiam adde, qui in Epitome Verrii Flacci, Prænestinos, Soranos, Pisanos, Placentinos, Bononienses, & Nolanos ejusdem juris cum Arpinatibus, & Tiburtinis dicit, & nominatim in Municipibus recenset, cum ex Vellejo, & aliis Latinis Scriptoribus Romanorum Colonias fuisse haud dubie constet (21).

Sciendum sane est Carolum Sigonium Cl. virum in eruditissimis libris de antiquo jure Italiæ, quod maximum erat, præteriisse, & quidem civium Italicis in oppidis, in quæ Romanorum Coloniæ deductæ erant, vel quænam conditio fuerit ignoravit, vel eodem jure quo Romani erant coloni, donatos credidit. de priori sententia quid dicam nescio. de altera vero, eam sane tenuisse apparet, in quam abierunt omnes pene, qui hac de re commentaria scripserunt. Rem ego paucis exponam, deque Coloniarum jure, non equidem inaudita, sed neque vulgaria proferam.

Quæcumque fuerint causæ, cur Romani colonias deduxerint, pro certo tamen habendum incolas oppidi, in quod colonia deducebatur, vel omnes ejectos fuisse, vel nisi ejectos, agro saltem, & domibus maxima ex parte privatos fuisse. Testis mihi sit Virgilius in Ecloga prima, cujus argumentum est. Augustus Coloniam Mantuam deduxit Virgilii patriam, ex qua omnes abire sunt coacti, qui quidem per Mœlibeum ita loquuntur,

Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva
Nos patriam fugimus . . . .
Non equidem invideo; miror magis: undique totis

Usque

Usque adeo turbatur agris : en ipse capellas
Protinus æger ago : hanc etiam vix, Tityre, duco.

Virgilius, qui Romæ tunc aderat, ne paternis expelleretur agris, Augustum rogavit, ut manendi ipsi faceret potestatem, & sub Moelibei nomine Tityrum adloquitur de responso ab Augusto dato.

Hic mihi responsum protinus dedit ille petenti.
Pascite, ut ante Boves, pueri, submittite Tauros:

merito Mantuani mirantur, & per Tityrum ajunt.

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt,
Et tibi magna satis, &c.
Fortunate senex, hic inter flumina nota,
Et fontes sacros frigus captabis opacum.

Ne tamen Virgilio tantum utamur teste, Svetonii locum etiam producemus, qui de agro per Italiam a Cæsare Veteranis suis diviso scribit, Cæsarem non integro territorio oppidorum usum esse, ut Veteranos remuneraretur; sed eo, qui vel publicus, vel Populi Romani in diversis oppidis reperiebatur : hoc enim sonant verba : „ Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites singulos super bina sestertia, quæ initio civilis tumultus numeraverat, in equites vicena quaterna millia nummum dedit, assignavit & agros non continuos, ne quis possessorum EXPELLERETUR : „ Certum igitur est, cum Coloniæ deducerentur, civium majorem saltem partem ex patriis terris expelli, & licet revera patriam linquere non cogebatur, cum tamen fortunis privaretur omnibus, nullo quidem pacto in ea consistere poterat. Quibus demum Appianum de Sulla loquentem addere juvat : (22) Ὡς δὲ ἐξέλιπε τὰ καθ' ἕνα ἄνδρα ἐγκλήματα, ἐπὶ τὰς πόλεις ὁ Σύλλας μετήει, καὶ ἐκό-

λα-

λαζε καὶ τάσδε ; τῶν μὲν ἀκροπόλεις κατασκάπτων, ἢ τείχη καθαιρῶν, ἢ κοινὰς ζημίας ἐπιτιθεὶς, ἢ εἰσφοραῖς ἐκτρύχων βαρυτάταις· ταῖς δὲ πλείοσι τοὺς ἑαυτῷ στρατευσαμένους ἐπῴκιζεν, ὡς ἕξων φρούρια κατὰ τῆς Ἰταλίας· τήν τε ΓΗΝ ΑΥΤΩΝ, καὶ τὰ ΟΙΚΗΜΑΤΑ ἐς ΤΟΥΣ δὲ ΜΕΤΑΦΕΡΩΝ, ΔΙΕΜΕΡΙΖΕΝ. Atque ex eo factum est, ut Lepidus Italorum ex patriis terris expulsorum benevolentiam captaret, ipsis promiserit se eos in suarum rerum possessionem restituturum: Λέπιδος δὲ καὶ τοὺς Ἰταλικοὺς προσποιούμενος, ἔλεγεν ὅτι τὴν γῆν αὐτοῖς, ἣν ὁ Σύλλας ΑΦΗΡΗΤΟ, ἀποδώσει (23).

At dii immortales. quid sceleris Romani Populi est hoc! quis deus jusserat, ut miseram vitam Itali agerent, ut Romanus Miles, vel Romana fæx Italiæ prædiis frueretur? non erant equidem tam barbari Romani, ut prima facie apparent. Agros ipsi devictos extra Italiam Italis adsignabant, quos cum patriis agris commutabant (24): hinc Campanis in Gnossia, & in Aphrica opes acquisitæ, Atellanis in Gallia: & de Mantuanis quæso audiamus Tityrum:

At nos hinc alii sitienteis ibimus Afros,
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus
Oaxem:
Et penitus toto divisos orbe Brittannos.
En unquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis, & tuguri congestum cespite culmen,
Post aliquot (mea regna) videns, mirabor aristas?
Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quo discordia civeis
Perduxit miseros: en queis consevimus agros.

Mihi equidem persuadeo, non omnes veteres incolas ob Coloniæ deductiones patrias sedes reliquisse, nec

tus

totus enim ager adimebatur: at horum quæ conditio fuerit paucis aperiam.

Cum Coloniæ deducebantur ad eorum tumultus reprimendos, vel ad eos coercendos, erat tum veterum civium pessuma conditio; Romanorum enim leges, & sacra amplecti cogebantur, nec munerum participationem habebant, hocque clarius apparebit, ex eis, quæ de jure Coloniarum dicemus. Rursus, vel Coloniæ deducebantur stirpis augendæ causa, vel hostium incursionum reprimendarum, vel plebis Urbanæ exhauriendæ caussa, vel demum ut præmiis veterani milites afficerentur: & tum veteres Cives, vel in eodem Colonorum jure cooptabantur, ita ut ex Colonis, & antiquis civibus una Civitas efficeretur, vel si Colonorum jus iis non concedebatur, iis saltem sacrorum, legumque ipsorum liber usus linquebatur. Qui Colonorum adlegebantur numero Municipes vocabantur, ut de Antiatibus ex Livio proditum, quibus *permissum fuit si ipsi adscribi Coloni vellent* (25), scilicet si Romanorum uti vellent jure, patrio jam pridem abdicato: nec enim Antiates Coloni quidem dici poterant, novum agrum enim colendum a Populo Romano non recipiebant. At si Romana civitas his priscis civibus non tribuebatur, & sacrorum, legumque libertas linqueretur, ipsi *socii Italici nominis* appellabantur; testis mihi est Livius, qui Coloniis interfuisse demonstrat, ne milites *Latini Sociorumque nominis* in Siciliam transportarentur (26): immo hac de re Coloniæ potissimum Latinae queruntur; ex quo conjicio, Latinas Colonias duas complexas fuisse civitates, Latinorum unam, Socio-

ciorum Italici nominis alteram. Hancque sententiam mihi Tullius firmat in Philippica XIII (27) his verbis ,, . Lautissimum OPPIDVM , nunc ,, MUNICIPIVM , honestissimorum quondam ,, COLONORVM Suessam fortissimorum mili- ,, tum sanguine implevit ,, : ecce Suessam, quam Romanorum Coloniam fuisse adfirmat , Oppidum prius , deinde Municipium vocat . Oppidum, quod antea ex sociis Italici nominis componebatur. Municipium deinde, quod Oppidani lege Julia Civitatis Romanæ compotes facti fuere: nec dicere hic valet, ob Civitatem oppidanis, ac colonis æquatam , Municipium potius , quam Colonia appellari Suessam maluisse; Frontinus enim exhibet etiam post adeptam civitatem Coloniam appellatam, & antiqui lapides ea ætate recentiores idem testantur. Eaque est ratio , cur Coloniæ a Romanis Scriptoribus modo Municipia , modo etiam Coloniæ vocentur .

Liceat hic mihi ineptias commentatoris Tullii reprehendere, quem nunquam Asconium fuisse credo, at hominem ea ætate longe posteriorem , quodque, nedum ex his, quæ subdo verbis, sed ex reliquo opere conjicio. Ait hic : ,, (28) Magnopere me hæsi- ,, tare confiteor, quid sit, quare Cicero Placentiam ,, Municipium esse dicat . video enim in Anna- ,, libus eorum , qui Punicum bellum secundum ,, scripsere , tradi Placentiam deductam pridie ,, Cal. Januar. primo anno ejus belli, Cornelio ,, Scipione patre Africani prioris, T. Sempronio ,, Longo Coss.; Neque illud dici potest, sic eam ,, Coloniam esse deductam, quemadmodum post ,, plures ætates Cn. Pompejus Strabo, pater Cn.

,, Pompeji Magni, tranſpadanas Colonias dedu-
,, xerat. Pompejus enim non novis Colonis eas
,, conſtituit, ſed veteribus incolis manentibus jus
,, dedit Latii, ut poſſent habere jus, quod cete-
,, ræ Latinæ Coloniæ, ideſt ut petendi Magi-
,, ſtratus gratia, Civitatem Romanam adipiſce-
,, rentur. Placentia autem ſex millia hominum
,, novi coloni deducti ſunt, in quibus Equites
,, deducendi fuit cauſa, ut opponerentur Gallis,
,, qui eam Italiæ partem tenebant. Deduxerunt
,, Triumviri P. Cornelius Aſina, P. Papirius
,, Maſo, Cn. Pompejus, ſive Cn. Cornelius Sci-
,, pio, eamque Coloniam LIII. deductam eſſe
,, invenimus. Deducta eſt autem Latina; duo
,, porro genera Colonorum, quæ a Populo Ro-
,, mano deducta ſunt, fuerunt: Italicæ aliæ,
,, Latinorum etiam ,,. Ex quibus verbis evidenter apparet, qui hæc ſcripſit, nedum Ciceronis ætate parem fuiſſe, ſed ab ea longe diſtantem; Coloniarum, primo, Municipiorumque in eadem Urbe cauſam ignorat: deinde quid Latinis juris fuerit, ipſi latet, nam qui ex Latinis Magiſtratus efficiebatur, munere exacto, civis Romanus remanebat. **Appianus (29)** Πόλιν δὲ Νεόκωμον ὁ Καῖσαρ ἐς Λατίου δίκαιον ἐπὶ τῶν Ἄλπεων ᾠκίκει, ὧν ὅσοι κατ᾽ ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται· τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον. Non vero quod Civem Romanum antea fieri oportebat, ut Magiſtratum in Latinis Coloniis petere poſſet: ac demum de Italicis Coloniis commemorat, quas Auguſtus primus extremis annis inſtituit, ipſe enim cum cenſeri juſſiſſet univerſum Romanum Orbem (30), Provinciis, Urbibuſque omnibus tributa ſtatuit, a quibus tamen Italiam immu-

munem fecit, hinc tributorum exemptionis jus, Italicum jus appellatum (31). Non igitur in exponendis Tullii verbis, de Italicis Coloniis memorari debuerat. Putidum equidem hic foret, si quæ a summis viris in Latinis scriptoribus notantur, repetere vellem, ut meam sententiam confirmem: tu ipse vide, & qua ego exposui ratione, accipe. sat mihi est per summa capita hæc delibasse (32).

At de jure Coloniarum quid addam nescio, postquam de eo longa conscripserint commentaria Carolus Sigonius, Ezechiel Spanhemius, Henricus Norisius, Onuphrius Panvinius, aliique: eorum ergo sententiam, paucis exponam, cui pauca adnotare mihi liceat. Coloniarum duo statuunt genera, Romanarum, nempe, & Latinarum, de Latinarum jure pauca addam: at de Coloniis Romanorum quod putant, non integram nempe civitatem Romanam, sed jus tantum Quiritium adeptas fuisse, non satis mihi adeo perspectum est. Et quidem jus Quiritium caussas privatas complexum fuisse scribunt, libertatis nempe, gentilitatis, sacrorum, connubiorum, patriæ potestatis, legitimi dominii, testamentorum, & tutelarum; contra vero jus Romanæ Civitatis, quod praeter has, quas enumeravimus caussas, suffragiorum, & honorum primum, deinde census; & tributorum, ac postremo militiæ jure insuper potiebatur. Statuunt igitur, Coloniis, quoniam deductione, Romanæ Civitatis jus amittebant, Quiritium jus donatum.

Et primum quis docuit Sigonium, Spanhemium, ceterosque, Quiritium jus a Romano di-

 ver-

versum fuisse ? hoc equidem nullis ipsi probant argumentis, & Plinium, quem solum testantur, nec a limine quidem salutarunt: equidem Ulpianus me docet Quiritium jus idem esse, ac Romanam Civitatem (33), quod ex eis, quæ dicemus, latius patebit. Præstantius Civitatis Romanæ jus fuisse Quiritium jure Cl. viri scripsere (34), adversus quos contrariam sententiam teneo. Quiritium enim jus dictum a Quiritibus, nemo est, qui negare audeat, & Quirites, qui Urbe Roma nati sunt appellantur, a Quirino, qui idem est, ac Romulus. Ovidius (35):

Prima lux vacua est: at tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

Julia lex Romana Civitate universam Italiam donavit, hinc universi Itali Cives Romani vocati sunt: eamque ob caussam ut Plinius, eos qui in Urbe Romana nati erant, exprimeret, *Quirites Populi Romani* vocat: en verba: (36).
„ Factum hoc populi Romani Quiritibus ostentum Cimbricis bellis Nucerię in luco Junonis, ulmo, postquam etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, ita ut protinus floreret. „ quibus eruditissimus Harduinus addit. „ Populi Romani Quirites sunt e Populo Romano non quilibet, (nam toto orbe Romano sparsus Populus Romanus fuit:) sed ii, qui in ipsa Urbe regia, ἐν τῇ κυρίᾳ πόλει, domicilium haberent. Auctor Virgilius, qui libro IV Georgicon, versu 200. de Apibus sic cecinit,

„ Ve-

„ Verum ipsæ foliis natos, & suavibus herbis
„ Ore legunt; ipsæ Regem, parvosque Quirites
„ Sufficiunt, aulasque, & cerea Regna refingunt.

„ Ubi *parvi Quirites* sunt apes, quæ regem sui „ quique alvearis assidue, ac proxime circumcin- „ gunt, ut regi suo olim cives urbis regiæ Ro- „ mæ proxime aderant, inde est & *Quirinus*, „ qui proinde conditor regię civitatis est, nem- „ pe Romulus. Plinius lib. XV. Sect. XXXVI. „ *Inter antiquissima delubra habetur QVIRINI, hoc* „ *est ipsius Romuli*. Est Quirini nomen etiam in „ nummo vetere familiæ Memmiæ apud Pati- „ num pag. 174, capite Romuli laureato, vul- „ tu senili, & barbato cum hac epigraphe: po- „ ne caput QVIRINVS: e regione C. MEM- „ MIVS. C. F. IIIVIR. A. A. A. F. F.: qui nem- „ pe ex aliqua Romuli filia se genus trahere „ gloriabatur. Est ergo Quirinus, ut diximus, „ Urbis regiæ conditor, vel rector; unde no- „ men illud etiam Cæsari Augusto tribuitur. „ Virgilio lib. III. Georg. versu 26.

„ In foribus pugnam, ex auro solidoque elephanto
„ Gandaridum faciam, victorisque arma QVIRINI.

„ hoc est, Romani Principis, qui Romæ, in „ Urbe Regia sedem habet. Denique legitur etiam „ in Vitellii, & Galbæ nummis hæc epigraphe.

„ VE-

„ VESTA. P. R. QVIRITIVM. *Vesta populi* „ *Romani Quiritium*, hoc est religio, pietasque „ Populi Romani, nempe eorum, qui in Urbe „ regia Roma degunt. Verisimiliora certe hæc „ videntur esse, quam, quæ Festus comminisci„ tur de voce Curis, & Curitis". Quibus adde Tullium, qui cum Romanos adloquitur, eos semper *Quirites* appellat, quod etiam videre est in ceteris Latinis scriptoribus, & in Livii potissimum opere: cum igitur Quirites sint, qui in Regia tantum Urbe nati sint, hinc Quiritium præstantius jus esse debet, ac Civium Romanorum: sed videamus num quis hanc meam sententiam firmet, & quidem Plinius alter, quo Spanhemius, ceterique in contrariam sententiam utuntur, occurrit, qui a Trajano Imperatore Civitatem Romanam Harpocrati impetrat, Harpocrates enim peregrinus erat, & a Peregrina manumissus, ideo Romanæ Civitatis jure non fungebatur, quod si Romanus fuisset, vel a Romana manumissus, Romanam quidem Civitatem non oportebat petere, statim enim, ac liber factus esset, Civitatis Romanæ jus acquisisset. At libertis Antoniæ Maximillæ necessariæ ei feminæ, quid Plinius impetrat? Civitatem forte Romanam? non equidem: ipsi enim, cum Romanæ liberti erant, Romana civitate jam erant donati. igitur quid petit? petit jus Quiritium; & quanam caussa? quia Romana Civitate erat præstantius; ejus enim ope liberti iam cives Romani facti, omni re, atque omni munere cum ingenuis civibus æquabantur: en Plinii verba: (37) „ *C. PLI-* „ *NIUS TRAJANO IMP. S.* Proximo anno, do„ mi-

„ mine, graviſſima valetudine, uſque ad periculum
„ vitæ vexatus, Jatralipten aſſumpſi: cujus ſolicitu-
„ dini, & ſtudio tunc tantum indulgentiæ beneficio
„ referre gratiam poſſum. Quare rogo des ei civita-
„ tem Romanam: eſt enim peregrinæ conditionis,
„ manumiſſus a peregrina. Vocatur ipſe Harpocras;
„ patronam habuit Thermutiam Theonis, quæ jam
„ pridem defuncta eſt; Item rogo des jus Quiritium
„ libertis Antoniæ Maximillæ, ornatiſſimæ feminæ,
„ Heliæ, & Antoniæ Harmeridi. Quod a te, petente
„ patrona, peto. *C. PLINIUS TRAJANO IMP. S.*
„ Ago gratias domine, quod jus Quiritium libertis
„ neceſſariæ mihi feminæ, & civitatem Romanam
„ Harpocrati Jatraliptæ meo indulſiſti, &c. " Etiam mihi præſto eſt Ulpianus, is enim ait. " Beneficio
„ principali Latinus Civitatem Romanam accipit,
„ ſi ab Imperatore jus Quiritium impetravit ". Quia nempe in Quiritium jure Romana Civitas continebatur; apparet igitur, nedum Quiritium appellatum Romanorum jus privatum, ſed Romano præſtantius quidem Quiritium jus fuiſſe: & ſane quidem, ut prædiximus, Tullius cum Romanos adloquitur, eos ſemper honorificentiſſimo nomine *Quirites* appellat, non vero *Romanos*. Et ex eo facta vox *Quiritare*, quam Diomedes exponit, (38) *Quirites* ciere, & Varro de L. L. ait. *Quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem implorat... Ut Quiritare URBANORUM, ſic jubilare ruſticorum*. Et infinita equidem Latinorum loca adducere poſſem, ut quam propoſui, ſententiam confirmarem; at quia jam Sigonius, Spanhemiuſque tranſcripſerunt (non equidem eorum ſententia probata) ideo libenter omitto, non pigeat tamen quae Paulus Manuccius

hac

hac de re conſcripſerit, margini adnotare (39), cujus argumenta ſi Spanhemius ceterique accurate legiſſent, profecto minime in diverſam abiiſſent ſententiam. Erit igitur differentia inter Quiritium, & Romanorum jus? haud equidem: privata, & publica jura eadem erant: at cur Plinius Harpocrati civitatem Romanam impetrat, & libertis Maximillæ jus Quiritium? Œdipo opus non eſt: libertos Maximillæ ingenuis aequare cupiebat; Harpocratem Romanis libertis, ut jam dictum. Si igitur Romanorum Coloni, ut Sigonius, & Spanhemius oſtendere ſunt conati, Quiritum jure donati ſunt, apparet evidenter ſummo jure donatos eſſe, ideoque munium capeſſendorum jure, ſuffragiorum ferendorum, jure cenſus, & jure militiæ. Sed ne hoc tantum utar tortuoſo genere diſputandi, de Romana Civitate Colonorum pauca diligenter diſquirenda aggredior.

Nemo Romanorum invitus civitatem amittere poterat: hoc ſaepius Tullius teſtatur (40), nec adeo dubium eſt: cum autem nemo Romana ſimul, & altera Civitate fungi poterat (41), hinc eſt, ut capitalium rerum condemnatis civitatem adimerent, in aliam civitatem, ut recepti eſſent faciebant (42), in qua mutandi ſoli cauſa venerant: hocque ut eſſet, interdicebant condemnatis tectum, aquam, & ignem, ut ea interdictione ſolum mutare cogerentur. Populus Romanus, L. Sulla Dictatore deferente, comitiis centuriatis Municipiis civitatem ademit, ademit iiſdem agros, de agris ratum eſt: fuit enim populi poteſtas: de civitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. Tullii haec ſunt ver-

verba (43), qui ſubdit. " An vero Volaterranis, „ cum etiam tum eſſet in armis L. Sylla victor, „ republica recuperata, comitiis centuriatis civita„ tem eripere non potuit? hodieque Volaterrani „ non modo cives, ſed optimi cives fruuntur no„ biſcum ſimul hac ciuitate „. Cum igitur procul dubio conſtet, Romanos Cives, Romanam ſemel acquiſitam civitatem nullo pacto amittere potuiſſe, hinc vides, eos, qui in Coloniam deducti fuere, eam nec etiam deperdidiſſe. Certe quæri hoc ſolere me non præterit, an quemadmodum ſi Civitas adimi non poſſit, in Golonias Latinas ſæpe Romani profecti ſint? Aut ſua voluntate, ut Tullius teſtatur (44): „ qui cives Romani in Colonias „ Latinas proficiſcebantur, fieri non poterant La„ tini, qui non erant auctores facti, nomenque „ dederant: „ aut legis multa profecti ſunt, quam ſi ſufferre voluiſſent, tum manere in Civitate potuiſſent; & tum demum Civitatem amittebant, ſi in eam recepti eſſent, in quam vertendi, hoc eſt mutandi ſoli cauſſa venerant. Et quem paterpatratus dedidit, aut ſuus pater, populuſque vendidit, quo is jure amittebat Civitatem? Ut religione Civitas ſolveretur, civis Romanus tradebatur, qui cum erat acceptus, erat eorum, quibus erat deditus: ſi non accipiebant, ut Mancinum Numantini, retinebat integram cauſſam, & jus civitatis. Si pater vendebat eum, quem in ſuam poteſtatem ſuſceperat, ex poteſtate dimittebat. Jam Populus, cum eum vendidit, qui miles factus non erat, non ademerat ei libertatem, ſed judicaverat non eſſe eum liberum, qui ut liber eſſet, adire periculum noluit. cum au-

F tem

tem incensum vendidit, hoc judicabat: cum ii, qui in servitute justa fuerant, censu liberarentur: is, qui cum liber esset censeri noluit, ipse sibi libertatem abjudicavit.

At quæso, in quaque Coloniæ deductione Romani cives nomen dabant? neque Spanhemius neque Sigonius adfirmarunt, neque eruditorum quisquam hanc tenuit sententiam. Ii quidem tantum nomen dabant, qui infimæ, & perditæ conditionis erant. Non equidem juvabit hic repetere, quænam fuerint deducendarum Coloniarum caussæ, eas enim antea enumeravimus, at si ex eis exceptes causam plebis exhauriendæ: tum enim Populi fæx ab Urbe deducebatur, quæ cum major esset numero deducendorum colonorum, ex ea tantum deducendi deligebantur, qui nomen dabant, scilicet, qui Civitatis juri renunciabant: iique perditissimi, & nequissimi erant hominum (45). Reliquæ aliæ deductiones, cum potissimum militum honestissimorum civium præmia inspiciebant, non equidem nominis datione indigebant. Et quæ præsertim ut veterani præmiis afficerentur, deducebantur, absque ulla nominis datione quidem deductæ fuerunt: præmia enim debebantur non ei, qui nomen professus erat, sed militi veterano, qui tot bellis pugnaverat, quorum quidem statutus erat numerus: & Coloniæ deducebantur, ut Lucius, Titius, Cajus, & Sempronius milites veterani præmio afficerentur, non vero ut præmium obtinerent, qui nomen professi fuerant. Quis porro sibi persuadeat militem Romanum ob bina agri jugera, quæ colenda accipiebat, Romanam Civitatem ab eo adimi æquo animo, sivisse, quam nemo bonus,

nus, nisi cum anima simul amittebat? Romanam Civitatem, qua, magni muneris loco Murrhina Syracusanus, quod de Romana Republica magnopere meruisset (cum equitatu enim, Punico periculosissimo bello, ad Romanos transierat) rogatione Populi, & Senatus auctoritate donatus fuerat: miles veteranus ob bina agri jugera amittebat? credat Judæus apella.

At quæ inania capto! Qui nomen professus erat, Latinus efficiebatur, uti Tullius est testis (46): cum vero Latinum factum colonum Romanum non video, pro certo quidem mihi est nomen non dedisse. At equidem miror Spanhemii, ceterorumque pertinaciam, qui cum scriptum a Livio vidissent „ „ (47) Coloniæ Civium Romanorum eo anno de„ ductæ sunt Puteolos, Vulturnum, Liternum, tre„ centi homines in singulas. Item Salernum, Bu„ xentumque Coloniæ Civium Romanorum dedu„ ctæ sunt „ & antea „ (48) Puteolos, Salernum„ que, & Buxentum adscripti coloni, qui no„ mina dederant, cum ob id se pro Civibus Ro„ manis ferrent, Senatus judicavit non esse Ci„ ves Romanos: „ ait Spanhemius, Salernum, Buxentum, Puteolos Romanorum civium Coloniæ deductæ sunt, & Senatus cives Romanos non putavit: igitur coloni Romanum jus amittebant. At dii immortales, quam fœde hic vir summus hallucinatur! Senatus non esse cives judicat, quod nomen dederant; qui nomen dabant Latini efficiebantur; igitur Puteolos, Buxentum, & Salernum Latinæ, non vero Romanæ deductæ sunt Coloniæ: subdit tamen Spanhemius, obstare nobis Livium, qui Cives Romanos,

 non

non Latinos deductos scribit. hoc autem dicere nil valet, nam omnes Latinæ Coloniæ ex Romanis civibus deductæ sunt, qui cum nominis datione Romanam Civitatem amittebant, Latino jure donabantur. At risum omnino mihi Spanhemius movet, cum ad hæc Tullii verba (49) „ Hi sunt homines ex iis „ coloniis, quas Sylla constituit: quas ego uni„ versas civium esse optimorum, & fortissimo„ rum sentio: sed tamen hi sunt Coloni, qui se „ insperatis, repentinisque pecuniis sumptuosius „ insolentiusque jactarunt „ dicat „ : in quibus „ nempe verbis Romani quidem cives dicuntur „ extitisse, qui in eas deductas a Sylla colonias „ sunt profecti; sed ita ut deinde non cives „ adeo, quam Coloni sunt habiti „. fallitur equidem vir summus. Tullius, ut ostenderet cum Catilina sociatos omnes fuisse, qui vel integrum absumpsissent patrimonium, vel qui fortunarum expertes erant, postquam singulorum conditionem recensuit, hos, qui strenui habebantur cives, Colonos esse prædicat, quod scilicet, etsi fortissimi cives essent, fortunis tamen omnino erant expertes: nam in Colonias profecti erant, ad bina agri jugera accipienda, quia Romæ nullo pacto vitam agere poterant, & ideo ait Tullius; „ sed ta„ men hi sunt Coloni, qui se insperatis, repen„ tinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque ja„ ctarunt „. quod nempe ideo Catilina rei suæ addictos fecerat, quod eos repentinis pecuniis donaverat. Nec minus risum Sigonius præbet, qui cum vidisset Ciceronem dicentem lege Apuleja latum fuisse, ut C. Marius in singulas Colonias ternos cives Romanos facere potuisse: putat ex eo Co-

Colonias nunquam Civitatem Romanam habuisse, at vel Quiritium jus, vel Latinum. Miror equidem talem virum hæc scripsisse: sciebat quidem ipse, L. Saturninum Apulejum legem tulisse (50) de agro Galliæ Cimbris erepto a C. Mario, quo in agro Coloniæ decretæ fuerant Latini juris: idque evidenter apparet ex eo, quod cum Apuleja lex vim non obtinuisset, Cn. Pompejus Strabo postea omnes Transpadanas, quas deduxit Colonias, Latinas omnes statuit (51). Hinc Apulejus optabat, ut Marius in quaque Latina Colonia deducenda, semel ternos Romanos Cives facere posset.

At ego sciens Spanhemio hastam præbeam, quam, si vidisset, hercle ea usus esset. Si igitur quæquæ Romanorum Civium Coloniæ integro Romanorum jure donatæ sunt, ut nos scripsimus, cur bellum Sociale a Coloniis potissimum excitatum est? & quidem illud primum excitarunt Venusini, quibus, si cum Coloni essent, Romana potiebantur Civitate, quid bello opus erat, ut eam adipiscerentur? Recte equidem: at hic volo, ut reminiscaris, quæ antea sum pollicitus. Duæ erant unaquaque in Urbe, in quam Colonia deducta erat, Civitates, prior nempe veterum Civium, altera Romanorum; hæc quidem integram Romanam habebat Civitatem, at illa, quæ longe major Colonia erat, ut in secundo hujus operis libro ostendam, nedum Civitatis Romanæ jus adepta erat, sed mihi etiam dubium est, an Sacrorum, ἀυτονόμωντε liberum habuisset tunc temporis exercitium: hinc est Sociale bellum, ab iis, qui Socii Italici nominis ap-

appellabantur, excitatum; hæc tamen clariora fient libro secundo.

Quæ cum ita sint, manifestum est Sigonium non recte de Coloniis cogitasse, & jus Quiritium a Romano jure diversum, quod Romani equidem non statuerunt, ipsum primum invenisse: ni forte ex Alexandro (52) nostro ipse didicit, & miror tot summos viros, quos inter pudet recensere Heineccium, inconsulto Sigonium quidem sequutos esse.

Nova tamen hac de re sententia prodiit ex Cl. Campanæ Urbis viro in diatriba de Neapolitana Colonia (53), Neapolim scilicet Coloniam factam, non vero in eam deductam, cum *deducere* sit Cives Romanos ad agros colendos mittere, Coloniam vero *facere*, sit, veteribus incolis manentibus, Coloniæ jus tribuere. At quæso Coloniarum jus, vel Romanum, vel Latinum fuit, igitur Neapolim Romana, vel Latina Civitate donatam dici oportuisse, ut Vellejus de Aricinis ait (54), qui cum Romano donati sunt jure, *in Civitatem* dicuntur *recepti*: & Sabini, qui Romano prædito sunt jure, *in Civitatem* sine suffragio *recepti* dicuntur. Et certe quidem mihi est Colonias omnes, vel Latino, vel Romano jure donatas: nec adeo usque mihi innotuit *Colonicum jus* a Romano, Latinoque diversum. Immo *lex Colonica* apud Agrariæ rei scriptores (55) ad agros tantum pertinet, quod etiam argumento est, eas tantum urbes Colonias dictas, in quas, cum, Romanorum deductæ sint familiæ, iis ager divisus, atque adsignatus est. Nec est quod vir summus ad Λιὼς. Asconium confugiat, cujus verba scite nimis mutila-

tilata profert: at en integra „ . Neque illud di-
„ ci poteſt ſic eam (Placentiam ſcilicet) Co-
„ loniam eſſe deductam , quemadmodum poſt
„ plures ætates Cn. Pompejus Strabo , pater Cn.
„ Pompeii Magni , Traſpadanas Colonias deduxe-
„ rat . Pompejus enim non novis Coloniis eas
„ conſtituit , ſed veteribus incolis manentibus jus
„ dedit Latii , ut poſſent habere jus , ut ceteræ
„ Latinæ Coloniæ , ideſt ut petendi Magiſtratus
„ gratia , Civitatem Romanam adipiſcerentur „ .
Ait vero vir ſumus „ Cum autem Coloniam Ro-
„ manam evaſiſſe dico , noli de ulla ſive vete-
„ ranorum , ſive civium Romanorum in eam
„ deductione rite facta cogitare . Nihil tale ce-
„ teris coloniis eveniſſe puto ; nec enim in hanc
„ Urbem proprie *deducta* Colonia (qua de cau-
„ ſa , de Neapoli Colonia facta loquens , ſedulo
„ *deducendi* verbo ſemper abſtinui) , ſed ipſamet
„ potius cum ſuis veteribus incolis jura colo-
„ niæ adquiſiviſſe dicenda erat „ . Oluerat igi-
tur & ipſe deductionem civium eſſe Romano-
rum : at ψευδ-Aſconius Tranſpadanas Colonias ,
in quas Romani cives non ſunt deducti , etiam
deductas ait , igitur nimis imperitus erat , qui cum
hæc ſcripſit , Aſconii nomine edidit . Ineptiæ igi-
tur erunt , quæ Laſena , ceterique de Colonia
facta , non vero deducta , & de Coloniæ honori-
ficentia Neapoli donata ſcripſerunt . Vide quæ
(56) ima cera ſunt appoſita .

Poſtremum ſupereſt argumentum , ut de La-
tinis civibus meam ſententiam proferam , atque huic
capiti finem imponam . Sigonius Quiritibus ſuis
integrum Latii jus adſignavit , & in jure Latii
ſta-

ſtatuendo, temporum ratione poſthabita, non admodum exploratas res ſcripſit. De Quiritium jure ait: (57) „ Jus autem Quiritium cauſſam pri-
„ vatam complexum eſt, libertatis, gentilitatis,
„ ſacrorum, connubiorum, patriæ poteſtatis,
„ legitimi dominii, teſtamentorum, & tutela-
„ rum „. Statuit præterea Quirites nec ſuffragii, nec honorum, nec militiæ jus habuiſſe, quæ omnia adamuſſim Latinis conveniunt. Et ſane V. C. anno CDXV, cum Latium omni munere, ac omni jure ſe Romanis æquare cupiebat, quid, niſi munerum participationem (in qua etiam ſuffragii ferendi jus complectebatur) petiit? ceteris enim juribus jam potiebatur. Audiamus Annium Latinis loquentem (58) „. Sin au-
„ tem tandem libertatis deſiderium remordet ani-
„ mos; ſi fœdus eſt, ſi ſocietas æquatio juris
„ eſt, ſi CONSANGVINEOS nos Romanorum
„ eſſe; quod olim pudebat, nunc gloriari licet;
„ ſi SOCIALIS illis exercitus is eſt, quo adjun-
„ cto duplicent vires ſuas, quem ſecernere abs ſe
„ Coſſ. bellis propriis ponendis, ſumendiſque no-
„ lint: cur non omnia æquantur? cur non alter
„ ab Latinis Coſ. datur? ubi pars virium, ibi
„ & imperii pars eſt. &. c. „ Patet igitur connubiorum jus Latinis cum Romanis fuiſſe, & militiæ, ſuffragiorum, & honorum jure tantum caruiſſe. Quodque ex oratione Annii ad Senatum legati confirmamus (59) „. Nos quanquam ar-
„ mis poſſumus aſſerere Latium in libertatem,
„ conſanguinitati tamen hoc dabimus, ut condi-
„ tiones pacis feramus æquas utriſque; quando
„ vires quoque æquari diis immortalibus placuit.
Con-

„ Consulem alterum Romæ; alterum ex Latio „ creari oportet. Senatus partem æquam ex u„ traque gente esse: unum populum, unam rem„ publicam fieri: & ut imperio eadem sedes sit, „ idemque omnibus nomen. &c. „ Liquido igitur apparet eodem jure Latinos donatos fuisse, ac quos fingit Sigonius Quirites.

At de jure suffragii, ea quæ Sigonius profert cruda nimis mihi videntur: jus enim suffragii nusquam Latinis pertinuit, sed Romanis tantum: nec est quod Dionysium antestetur, aliter enim se res habet, ac ipse putat. Verum ante quam ad Dionysii sententiam animum convertam, Sigonium Sigonii auctoritate convincam: ait ipse, (60) „ Hoc unum satis valeat, ut qui Latinitate donati essent, iidem si meliore in caussa „ ponendi essent, jure Quiritum augerentur. „ At quibus Quiritium jus donatum, nusquam suffragii jus tributum, in quo, ut Sigonius ipse ait (61) *magnum momentum*, non Romanæ solum, sed omni etiam Civitati positum fuit: igitur Latinorum melior conditio fuit, ac eorum: qui Quiritium jure sunt donati: ac inde non in meliore caussa positi essent Latini, si Quiritum jure donati fuerint.

Latini nunquam jure proprio, suffragii ferendi jus habuere, quod nec Romani Magistratus arbitrio commissum: & Sigonius unicum, quem adducit Dionysii locum, non satis diligenter perpensus est: tum demum enim Dionysius Latinos suffragii ferendi jus habuisse testatur, cum eos jam antea Sp. Cassii II. Cons. (62) jam Romana Civitate donatos dixit: ex quo manifestum

 est

est suffragii jus Romanæ Civitati proprium, non vero Latinorum fuisse; & qui Latini ad suffragium ferendum vocabantur, jam Cives Romani erant: & Hernicos, quos Cassius ad ferendum suffragium etiam convocaverat, ideo vocati sunt, quod antea Romana Civitate donati fuerant (63). *Λατίνους τε γὰρ ἠξίου τῇ καταγραφῇ τῆς χώρας συμπεριλαβάνειν, καὶ τοὺς νεωστὶ προσληφθέντας εἰς τὴν πολιτείαν Ἕρνικας, οἰκεῖα ἑαυτῷ παρασκευάσαι τὰ ἔθνη*. Henrici, & Latini non Hernico, & Latino jure suffragium ferunt, sed Romano, quo cum Civitate simul fuerunt donati Postumio II. Cos.. Hallucinatur tamen magnopere Sigonius, cum putat suffragii jus, quod jure proprio Latinis inerat, Romani Magistratus arbitrio commissum fuisse (64); qua de re Dionysii locum producit; in quo exponendo, nec etiam recte ratiocinatus est Spanhemius, qui Virginium ait contendisse, simul cum Civitate data, non etiam suffragii jus tributum: contrarium vero tenuisse Cassium. Aliter se Dionysius habet, cujus sententiam, nec etiam salutarunt (65). *Ταῖς δὲ ἑξῆς ἡμέραις ἀρρωστίαν σκηπτόμενος, οὐκέτι κατέβαινεν εἰς τὴν ἀγορὰν, ἀλλ' ὑπομένων ἔνδον ἐπραγματεύετο βίᾳ καὶ χειροκρατίᾳ κυρῶσαι τὸν νόμον. καὶ μετεπέμπετο Λατίνων τε, καὶ Ἑρνίκων, ὅσους ἐδύνατο πλείστους ἐπὶ τὴν ψηφοφορίαν. οἱ δὲ συνήεσαν ἀθρόοι. καὶ δι' ὀλίγου μεστὴ ξένων ἦν ἡ πόλις. ταῦτα μαθὼν Οὐεργίνιος, κηρύττειν ἐκέλευσε κατὰ τοὺς στενωποὺς, ἀπιέναι τοὺς μὴ κατοικοῦντας ἐν τῇ πόλει, χρόνον ὁρίσας οὐ πολύν. ὁ δὲ Κάσσιος τἀναντία ἐκέλευσε κηρύττειν, παραμένειν τοὺς μετέχοντας τῆς ἰσοπολιτείας, ἕως ἂν ἐπικυρωθῇ ὁ νόμος.* Nunquam Virginius Latinis suffragium ferre vetuit; at ne ipsi in Cassii sententiam suffragium ferrent, edicto monuit, *ne quis cui domicilium in Urbe non esset, ultra certam diem in ea manere posset*. De suffragii jure Latinis tributo nunquam di-

sce-

sceptavit, clarum enim erat, cum Civitate simul omnia jura Latinis tradita fuisse, potissimum, cum nulla Populus Rom. excepisset. Nec Cassio de jure uquam quæstio fuit, patet enim edictum Cassii fuisse, *Ut qui civitate donati essent, manendi haberent potestatem*, usque dum agraria lex ferretur.

Verum Civitas Latinis, Hernicisque tunc temporis data, Dionysii est commentum, Livius enim Latinos V. C. anno CDXVII. primum, & Hernicos anno CDXLVII. Civitate donatos profert. Ac primum Latinos, quos Dionysius II. Consulatu Sp. Postumii Civitate donatos scribit (*66*), ipsi tum Cives Romanos factos esse oportuit, cum a Postumio debellati, fœdus cum Romanis jcere, quod integrum Dionysius exhibet (*67*). *Ῥωμαίοις, καὶ ταῖς Λατίνων πόλεσιν ἁπάσαις εἰρήνη πρὸς ἀλλήλους ἔστω, μέχρις ἂν οὐρανός τε, καὶ γῆ τὴν αὐτὴν στάσιν ἔχωσι. καὶ μήτε αὐτοὶ πολεμείτωσαν πρὸς ἀλλήλους, μήδ᾽ ἄλλοθεν πολεμίους ἐπαγέτωσαν, μήτε τοῖς ἐπιφέρουσι πόλεμον ὁδοὺς παρεχέτωσαν ἀσφαλεῖς· βοηθείτωσάν τε τοῖς πολεμουμένοις ἁπάσῃ δυνάμει, λαφύρων τε καὶ λείας τῆς ἐκ τοῦ πολέμου κοινοῦ τὸ ἴσον λαγχανέτωσαν μέρος ἀμφότεροι· τῶν τε ἰδιωτικῶν συμβολαίων αἱ κρίσεις ἐν ἡμέραις γιγνέσθωσαν δέκα, παρ᾽ οἷς ἂν γένηται τὸ συμβόλαιον· ταῖς δὲ συνθήκαις ταύταις μηδὲν ἐξέστω προσθεῖναι, μήτε ἀφελεῖν ἀπ᾽ αὐτῶν, ὅ τι ἂν μὴ Ῥωμαίοις τε, καὶ Λατίνοις ἅπασι δοκῇ.* Ubinam Civitatem hoc fœdere datam Latinis apparet? falsum igitur est Cassio II. Cos. Latinos in Civitatem fuisse adscriptos. Hoc fœdus porro unicum est, quod Romani Cassio II. Consule cum Latinis jcerint: igitur, cum de Civitate in hoc actum non sit, liquido constat Latinos in Civitatem hisce temporibus non fuisse receptos. Livius præterea, qui in Historiis Romanorum describen-

 dis

dis nimiam navatus eſt diligentiam, de Latino fœdere Caſſio II. Conſule ſane meminit, at de Romana Civitate tunc Latinis data, nec ullum quidem verbum. Nec falli Livius poterat, nam fœdus ænea columna inſculptum ipſe viderat, & ſuis temporibus etiamdum adſervabatur (*68*). Livius vero cum de Civitate Latinis V. C. CDXVII data ſcribit, nunquam Civitatem reſtitutam, vel conſervatam monet, ſed Civitatem tunc primum datam adſtruit.

At Dionyſium in adſignanda Latinis Civitate omnino erraſſe, quæ ipſe ſcripſit, demonſtrant. Nam Sp. Caſſio ſecundo Conſ. agente, Claudium perorantem adducit, qui non ſemel ait (*69*). *Λέγω δὲ τὰς Λατίνων τριάκοντα πόλεις, αἳ μετὰ πολλῆς εὐχῆς δέξαιντο ἂν τοὺς ὑπὲρ ἡμῶν ἀγῶνας διὰ τὸ συγγενὲς, ἐὰν ψηφίσησθε αὐταῖς ἰσοπολιτείαν μόνον ἧς ἀεὶ διατελοῦσι δεόμεναι.* Senatus vero Latinorum præcibus nunquam obtemperaſſe, ipſe eſt auctor: Fœdus deinde cum Latinis ictum, & de Civitate nec etiam memoratum.

Et quidem Dionyſium hac in re maxime peccaſſe, etiam ex eo arguo, quod ipſe de Latinis prodidit: qui cum A. V. C. CCLXIV. auxilia a Romano Senatu petiiſſent adverſus Volſcos, & Senatus ob civiles diſſentiones, cum opem ferre poſtulantibus non poſſet, ideo ipſis libertatem militum, Duciſque ex propria gente eligendorum conceſſit, quod ne fieret, expreſſe fœdere cautum erat; at fœdus quod exhibet, nec de eo etiam loquitur, falſum proinde vel fœdus, vel quæ ſubdit.

Civitatem ſane Latinis Sp. Caſſio II. Coſ. datam, commentum Dionyſii eſſe, Tullius aperte do-

docet (70). „ Cum Latinis omnibus fœdus ictum
„ Sp. Cassio, Postumio Cominio Coss. quis igno-
„ rat? quod quidem nuper in columna ærea me-
„ minimus post rostra incisum, & perscriptum
„ fuisse. Quomodo igitur L. Cassinius Tiburs,
„ pater hujus equitis R. optimi atque ornatissimi
„ viri, damnato C. Ælio, quomodo ex eadem
„ Civitate T. Coponius, civis item summa vir-
„ tute, & dignitate (nepotes T. & C. Copo-
„ nios nostis) damnato C. Massone civis R. est
„ factus? „ En igitur si Latium Postumio Cassio-
que Cofs. donatum est Civitate, L. Cassinius, & T.
Coponius Ciceronis ætate Romana Civitate do-
nari non deberentur, & Livius anno V. C.
CDXVII non singulos Latinos populos Civitate
donatos recenseret, & de Tiburtibus non scripsis-
set (71). „ Tiburtes Prænestinique agro multati,
„ neque ob recens tantum rebellionis commune
„ cum aliis Latinis crimen, sed quod tædio Po-
„ puli Romani, cum Gallis, gente efferata, ar-
„ ma quondam consociassent. „ Cum igitur,
neque Postumio, Cassioque, neque Camillo, &
Mænio Coss. donati sunt Tiburtini Civitate, atque
cum in antiquorum Latinorum conditionem re-
manserint, ideo Cassinius, & Coponius, Ro. Ci-
ves ut adscriberentur operati sunt.

Latinos igitur, tum primum Civitate dona-
tos credimus, cum Camillo, & Mænio Coss. ne-
que pacem, neque bellum pati poterant; tum
enim, cum ipsis Romani agros maxima ex parte
ademissent, ne justi superesset belli caussa, eos
Civitatis Ro. honore decorarunt. Nec dubium est
eos tum Romanorum conditionis factos, suffragii-
que

que jus iis delatum. Ceterum nec omne Latium tum Civitate donatum Livius docet. Fuerunt Latinorum etiam Populi, qui a Regum temporibus Romana Civitate prædití fuere, & ipsis vel servatam, vel suo opere deperditam historia docet.

De Hernicis vero eadem habeo, ac quæ de Latinis adhuc proposui, nam Livius exhibet anno CDXLVII. Hernicorum primum populos Civitate donatos: ex iis Alatrinates, Verulani, & Ferentinates leges suas ipsis reddi, quam Romanam Civitatem maluerunt. Anagnini quoniam arma Romanis intulerunt, sine suffragii latione in civitate fuerunt recepti. Æquis tamen spernenda Romana Civitas visa est: eaque de caussa Æquorum nomen a Romanis pene deletum.

Ad rem vero ut redeam; Romani cum Latinas Colonias deduxerunt, non eo jure donarunt, quod Latinorum aliqui Populi, Camillo, Mænioque Coss. adepti sunt: sed Latii jure antiquo. Nam post annum CDXVII, qui Latium incoluere originis, nominisque caussa Latini dicti sunt, re autem vera ipsi Cives Romani fuere. Hoc sane dictum volo de illis Latinis, qui Urbes Civitate donatas incolebant, fuerunt enim & in Latio usque ad Legem Juliam, qui antiquo admodum Latii utebantur jure.

Eaque sunt, quæ ex nostra sententia dicenda duximus, ut eorum, qui in Coloniam Venusiam deducti sunt, conditionem cognosceremus, qui vero ad satietatem hæc cupiunt, Sigonium, & Sphanhemium, viros celeberrimos adeant, aliorumque eruditissimos libros. Ego vero ad Venusiam ut redeam, bismille colonos Dionysius missos te-

testatur, at si eorum familias addas, decem circiter millia Venusiam advectos nosces. Venusinos vero Coloniæ deductæ caussa expulsos fuisse ea ætate non perduadeor: crebris enim bellis depopulatæ Apulorum Urbes ita erant, ut vacuæ pene viderentur, & vacui agri: agrum præterea extra Italiam Venusinis Romani exhibere non poterant, nam agris externis Romani nondum aucti erant. Hæc de priori Romanorum Colonia Venusiam advecta. Videamus modo Venusinorum Rempublicam.

---

(1) *Dionys. Alic. excerpt. de virt. & vitiis, & de legation. quæ a Fl. Ursino additæ sunt operi superstiti. London.* 1704. *Olymp.* 120. Quod Postumius primum quidem Cominium per obsidionem accipit, tempus non multum in oppugnationibus moratus: deinde Venusiam Urbem-hominum-frequentem, & alias Civitates quamplurimas, in quibus infiniti prope jugulati sunt; sexmillia vero, & ducenti arma dederunt. His perfectis, nedum in gratiarum-actione honore aliquo dignatus est, sed & pristinam dignitatem amisit. (*ἀπέβαλεν pro ἀπέλαβεν pone, & ἀποστελλομένων, pro ἀποστελλόμενον repone*) Missis enim in unam captarum ab ipso Urbium, quam-vocant Venusiam, duomilia Colonorum, alii Coloniæ electi sunt ductores: Qui vero urbem cepit, & sententiam de missione Coloniæ *Senatoribus* suasit, honore illo indignus visus est. *At Postumius Senatus sententiis spretis, ob honorem denegatum indignatus, prædam omnem ex manubiis redactam militibus divisit, ac prius quam in Provinciam successor mitteretur, milites exauctoravit: Triumphum postremo absque Senatus jussione ipse auctoritate sua duxit. Quam ob caussam Consulatu exacto a Trib. Pl. die ipsi dicta, ducentis millibus nummum lis ei æstimata est. Ceterum de hoc triumpho nihil ex Capitolinæ Tabulæ memorantur, cum in ipsis ii tantum scripti reperiantur, qui auctoritate Senatus ducti sunt: exbi-*

bibent ipsæ tamen hoc anno Q. Fabium Maximum Gurgitem, Calendis sextil. de Samnitibus triumphasse: qua de re Sigonium consule. (2) *Vellejus lib.* 1. *Cap.* 14. (3) *Cluer. Ital. Antiq. lib.* 4. *Cap.* 12. (4) *Horat. Serm. lib.* 2. *Satyr.* 1. *vers.* 36. (5) *Carol. Sigon. de Antiqu. Jure Ital. lib.* 3. *Cap.* 4. (6) *Vellej. lib.* 1. *cap.* 15. (7) *Cremona, & Placentia deductæ sunt anno V.* C. 534: *atque post eas deductas cessavit Romanis Colonias condere, & Bononia quæ prima post Placentiam, Cremonamque Colonia est condita, tum demum dudulla fuit, cum anno* 564, *omne Africanum exactum esset bellum, ita ut victores Romani, Antiochum jam petere possent.* (8) *Cap.* 1. *pag.* 3. (9) *Cato de R. R. Cap.* 1. *De domino bono colono, bonoque ædificatore melius emetur. Varro de R. R. lib.* 1. *Cap.* 3. *Atque etiam leges Colonicas tollis, in quibus scribimus, Colonus in agro surculario ne Capras compascat. Et sepius in ejus libris: Columella lib.* 11. *Cap.* 1. *pag.* 216. *Edit. Philip. Juntæ Florent.* 1515. *Non Urbem, non ullas nundinas, nisi vendendæ, aut emendæ rei necessariæ caussa frequentaverit, neque enim Coloniæ suæ terminos egredi debet, nec absentia sua familiæ cessandi, aut delinquendi spatium dare.* (10) *leg.* 2. §. 23. *Dig. ne quid in loco publico, vel itinere.* (11) *leg.* 24. §. 4. *Dig. locati, conducti.* (12) *leg.* 20. §. 3. *Dig. de instructo.* (13) *Appianus Civ. lib.* 1. *pag.* 604. Romani Italiam per partem subigentes, terræ partem acceperunt, & civitates habitare fecerunt, & in prius-existentes civitates colonos sui generis adscripserunt. Colonias pro custodiam apposuerunt in terra semper bello parta: statim colonis agrum cultum ex bello *tunc existent*, quia sub sortem mittere non vacabat, per præconem declarabant omnibus iis, qui volebant colere, excepta sibi tributi nomine, in singulos annos ex frugum, parte decima, ex arbustis parte quinta: gregibus vectigal indictum erat, tam majoris, quam minoris pecoris. (14) *Cic.* 2. *Agrar. Cap.* 31. *in fin.* (15) *Vellej. lib.* 1. *Cap.* 14. (16.) *Cicer. Orat. in Pison. frag. quod præponitur ex Asconio, & cap.* 23. (17) *Vellej. lib.* 1. *cap.* 14. (18) *Tacit. Hist. lib.* 2. *Cap.* 19. (19) *Cic. Ep. fam. lib.* 13. *ep.* 13. (20) *Vellej. lib.* 1. *Cap.* 15. (21) *Sex sive Festum Pompejum Verrii Flacci epitomatorem, cujus opera videre est inter Agrariæ rei scriptores.* (22) *Appianus Civil. lib.* 1.
pag.

pag. 683. Ut singulorum hominum criminationes defecere, tum Sylla civitates adiit, eosque affligebat, arces ipsarum fodiens, & diruens muros, & communes pœnas apponens, & exactionibus gravissimis onerans: multos, qui secum in bello fuerant, alio Colonos deduxit, ut haberent custodiam per Italiam, *in ipsos* terram vererum possessorum, & possessiones transferens, divisit. (23) *Appian.Civ.lib.*1. *pag.*695. Lepidus autem Italos concilians, dicebat se redditurum terram ipsis, quam Sylla abstulerat. *Appian. lib.* 2. *Civ. pag.* 84. *Brutus post Cæsaris necem Romanos adloquens ait, Populum Romanum Colonias deducere solitum fuisse* οὔ ποτε γῆν ἀφαιρούμενος, οὐδὲ ἑτέροις ἐπινέμων τὰ ἀλλότρια, οὐδὲ ἡγούμενος δεῖν ἀμείβεσθαι δι' ἀδικημάτων. Nunquam terram adimens, neque aliis distribuens aliena: neque Imperatorem oportet vertere prædam in præmia. τῶν δὲ πολεμίων ὅτε κρατήσαιεν, οὐδὲ τούτων ἅπασαν τὴν γῆν ἀφῃροῦντο, ἀλλὰ ἐμερίζοντο, καὶ ἐς τὸ μέρος ᾤκιζον τοὺς ἐστρατευμένους, φύλακας εἶναι τῶν πεπολεμηκότων, καὶ οὐκ ἀρκούσης ἐνίοτε τῆς δορυκτήτου γῆς, καὶ τὴν δημοσίαν ἐπένεμον, ἢ ἐωνοῦντο ἑτέραν. *Sylla vero, & Cæsar neque agrorum prætia antiquis dominis. solverunt, neque in devictos agros Colonias deduxere*, ἀλλὰ τὴν Ἰταλίαν οὐδὲ ἁμαρτοῦσαν, οὐδὲ ἀδικοῦσαν πολέμου νόμῳ, καὶ λῃστρείου νόμῳ, τήν τε ΓΗΝ ἀφῃροῦντο, καὶ ΟΙΚΙΑΣ, καὶ ΤΑΦΟΥΣ, καὶ ΙΕΡΑ, ὧν οὐδὲ τοὺς ἀλλοφύλους πολεμίους ἀφῃρούμεθα, ἀλλὰ δεκάτην αὐτοῖς μόνην καρπῶν ἐπετάσσομεν. *Vide cetera, nam omnia in eandem sententiam dicta sunt.* (24) *Cic. in Ep. fam. de agris Atellanorum in Gallia sæpe memoratur. De Campanis Vellej. lib.*2. *cap.* 81. *& Dio lib.* 49. (25) *Liv. lib.* 8. *cap.* 12. *In quo admonendum sane est, Antiatibus, præter Civitatem ipsis donatam, datum etiam jus in Coloniam adscribi, scilicet jus agri a Pop. Rom. recipiendi* (26) *Liv. lib.* 27. *cap.* 12. (27) *Philipp.* 24. *cap.* 8. (28) *Ascon. Ped. in Orat. Cic. in Pis. pag.* 74. *De ejus falsitate rursus erit sermo.* (29) *Appianus lib.* 2. *pag.* 730. Urbem Novumcomum Cæsar Latino jure in Alpibus constituit, ut omnes, qui in annum Magistratus essent, fierent Romanorum Cives: hoc enim jus est Latio. (30) *D. Lucas in Ev.Vid.Pagium Apparat. Chron.ad un. an. Bar. a num.*126. *ad* 133. (31) *Vide quæ juris interpretes scripserunt ad Pauli locum lib.* 2. *de censibus, ad leg. sc.* 20. *Dig. de cens. Carol. Sigon. de jure Ital. lib.* 1. *cap.* 21. *Verum in ea, quæ ipse hac de re scripsit, non facile jurarem.* (32) *Ad meam con-*

 fir-

firmandam sententiam omnes scriptorum loci adduci possunt, quibus in contrariam alii utuntur, cum vero hoc putidum esset, libenter praetermitto. Ceterum ut ad Campani Amphitheatri restitutorem redeam, latet mihi adeo, cur Municipii vox ad Puteolos potius, quam ad Capuam referendam esse putaverit, cum Puteolis jam usque ab anno V. C. 553. decreta fuit Colonia. Liv. lib. 32. cap. 20. quae tamen deducta est anno 556. Liv. lib. 34. cap. 24. Si igitur Capua Municipiun non est appellanda, quod eo Colonia deducta sit: nec etiam Puteoli, quo longe ante, quam Capua Colonia deduceretur, coloni missi. (33) *Tituli ex corpore Ulpiani, sive operum Ulpiani fragmenta, quae sequuntur Codicem Just. a Gottofred. editum. Intiger Titulus tertius de Latinis.* (34) *Carol. Sigon. de antiq. jur. Civ. Rom. Ezechiel. Spanhem. Orb. Rom. Exerc. 1. Heineccius Antiq. Rom. lib. 1. ceterique.* (35) *Ovid. Fastor. lib. 2. circa vers. 477.* (36) *Plin. Hist. Nat. lib. 16. cap. 57., vel antiq. 32. Mendosum hunc Plinii locum Gronovius putat Observ. lib. 4. cap. 14, & nescio quam Grammaticam rationem in eum inducere vellet: magnopere autem hallucinatur, cum Quiritium Pop. Rom. appellatione, Sabinos, & Romanos unico vocabulo dictos putat, quae Festi sententia est: Harduinus tamen merito Festum refellit, nam Livius nedum Quirites a Romanis nunquam distinguit, sed Romanos Quiritium Populum frequentissime vocat, quod sc. Romani ex Quirino, sive Romulo originem ducant. Liv. lib. 1. cap. 13. „ Quarum rerum litium causarum condixit paterpatratus po. Romani Quiritium, patripatrato priscorum Latinorum . . . . Quod populi priscorum Latinorum hominesque prisci Latini adversus populum Ro. Quiritium, fecerunt, deliquerunt, quod populus Ro. Quiritium bellum cum priscis Latinis jussit esse, senatusque populi Ro. Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum priscis Latinis fieret". Et lib. 8. cap. 8. exhibet verba M. Valerii Pontificis Decium Cos. voventis, „ Jane, Jupiter, Mars pater, Quirinae, Bellona, Lares: divi Novelienses, dii Indigetes, divi, quorum est potestas nostrorum hostiumque, diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroque, uti Populo Romano Quiritium vim, victoriamque prosperetis; hostesque Populi Ro. Quiritium, terrore, formidine, morteque afficiatis &c. & lib. 41. cap. 15. Latinae feriae, fuere ad diem 3. Non. Maji, in quibus, quia in una hostia Magistratus Lanuvinus precatus non erat*

„ Pop.

„ *Pop. Ro. Quiritium, religioni fuit* “. *Et sexcenta alia addere possem Latinorum scriptorum auctoritates, quas inter, non spernenda censeo, quæ Varro de L. L. lib.* 5. *pag.* 61. *de censoriis tabulis, refert, in quibus scriptum erat: Quod bonum, fortunatum, felix, salutareque siet Populo Romano Quiritium, reique publicæ Pop. Romani Quiritium. Gellius etiam lib.* 1. *cap.* 12. *Fabii Pictoris verba adducit, quibus, quæ dici oportuit a Pontifice Maximo, cum vestalis virgo caperetur, demonstratur: quorum pars est: Quæ jussi, & sacerdotem vestalem, facere pro Populi Ro. Quiritibus. Idem Gell. lib.* 10. *cap.*24. *Edictum de feriis præbet, cujus initium est: Dienoni Populi Ro. Quiritibus compitalia erunt, &c. Innumeri apud Gruterum extant vetusti lapides, in quibus Romani, Populi Quiritium appellantur, qui in Urbe Roma domicilium habebant. Quæ omnia aperte demonstrant Quirites eos appellatos fuisse, qui in ipsa Urbe Roma domicilium haberent, qui toto in orbe, summo Romanorum fruebantur jure.* (37) *C. Plin. Epistol. lib.* 16. *ep.* 5. (*Hac pag.* 39. *lin.* 3. *τὸ* tunc *corrige* tuæ) *& eod. lib. ep.* 22. (38) *Diomed.* 1. *p.* 377. *Edit. Putsch. Varro de LL.* 7. *Liv. lib.* 38. *cap.* . . . . *Voss. Lex. etymol. Brisson. de formul.* 8. *p.* 718. *Budæus, aliique.* (39) *Antiquit. Rom. Pauli Manutii de Civit. Rom. Romæ* 1585. *pag.* 31. *vers.* 24. *Primus igitur quasi gradus nobilitatis erat jus Quiritium, quod summi beneficii loco dabatur, id autem erat largiri civitatem Romanam. Civium autem R. absolute definitio tribus partibus constat, ut censeantur, & suffragium ferant in alia* 35. *Tribuum; ut regantur Rom. Magistratibus, & Romanis legibus vivant: ut de tribus ordinibus unum omnino obtineant, senatorium, aut equestrem, aut qui de plebe dicebatur, quorum erat pedestre munus, militia. Harum partium, potest aliqua communis esse civibus Ro. cum aliis quoque urbibus, & locis: simul vero omnes conveniunt civibus Rom. Nam censeri, & suffragium tribu ferre, etiam ad municipes pertinet; duæ vero ab iis reliquæ partes absunt. Sed est hic non ignobilis ad considerandum locus: utrum, quemadmodum jus Quiritium dare, dixi, esse civitatem Romanam largiri, eadem ratione, qui Civitatem Romanam habent jure Quiritium omnes fruantur. Negatur, nam libertini homines civitatis participes sunt, nec tamen habent jus Quiritium, & nominandi quidem inter Cives, habendi tamen inter Quirites non sunt. Itaque Romanorum Civium libertis, nunquam*

 Ci-

Civitatem , (cum enim libertate donantur , eo ipso tempore Cives fiunt , censerique incipiunt) , Quiritium autem saepe jus esse petitum invenies : quod si assequebantur , tum licebat iis non modo rusticis in Tribulibus censeri , verum etiam Magistratus obtinere . (40) Cic. pro domo sua ad Pont. cap. 29. , & 30. 12. , & alibi . Hinc peccasse Spanhemium reor , cum Asclepiadem septem urbibus civem adscriptum a Trajano putat . En integrum Asclepiadis Titulum ex Reinesio Cl. XI. 6. , quem dimidiatum Spanhemius exhibet .

C. CALPVRNIVS . ASCLEPIADES
PRVSA AD OLYMPVM MEDICVS
PARENTIBVS ET SIBI ET FRATRIB.
CIVITATES VII. A DIVO TRAIANO
IMPETRAVIT
NATVS III. NONAS MARTIAS
DOMITIANO XIII. COS.
EODEM DIE QVO ET VXOR EIUS.
VERONIA CHELIDON
CVM QVA VIXIT ANN. LI
STVDIORVM ET MORVM CAVSA
PROBATVS A VIRIS CLARISS.
ADSEDIT MAGISTRATIBVS POP. R.
ITA VT IN ALIIS ET IN PROV. ASIA
CVSTODIAR . . . . IN VRNA
IVDICIVM
VIXIT ANN. LXX.

Cum Asclepiades Calpurnii nomine utitur , manifestum est libertum ipsum fuisse , ac inde Romana primum Civitate a Trajano donatum , quam etiam jam obtinuisse demonstrat , ipsum Romanis Magistratibus adsedisse . Cum igitur civis primum Romanus sit effectus , nulla alia civitate quidem donari potuit . Hinc puto τὸ civitates septem *demonstrare Asclepiadem a Trajano impetrasse jus septem peregrinos civitate donandi . Ceterum pro Sphahemio stant duo lapides Novae Cartaginis apud Grut. 174. 3, 4. , ex quibus clarum est civitatis Romanae jura Hadriano imperante immutata fuisse ; plura tamen illis lapidibus addi possent . Quae vero nos contra Spanhemium scripsimus ex Tullio sunt.* (42) *Cic. pro domo sua cap.* 30. (43) *Cic. pro dom. sua.* 30. (44) *idem Tull. eod. loco* .. (45) *Sallust. bell. Catil.* (46) *Tull. pro dom. sua , cap.* 30. , & *alibi* . (47) *Liv.* 34. *Cap.* 24.

(48)

(48) *Liv. lib.* 34. *cap.* 21. (49) *Cic.* 2. *in Catil. cap.* 9. (50) *Appian. Civil. lib.* 1. *pag.* . . . (51) *Scholiast. Cic. Orat. in Pison. quem Asconium falso putant.* (52) *Alexander ab Alex. Dierum gen. lib.* 4. *cap.* 10. (53) *Auctoris nomen reticendum duxi, ne nimis arroganter contra ejus eruditissima scripta me sentiisse videatur. Hæc tamen diatriba edita est cum libro* de Cathredalis Ecclesiæ Neapolitanæ semper unicæ, variis diverso tempore vicibus. *pag.* 233. (54) *Vellej. lib.* 1. *cap.* 14. (55) *Vide Collect. Goesii.*

(56) *De Neapolitana Colonia honorifica, & de Civitate Campanis data.*

Cum multa admodum ea sint, quæ summi excogitarunt viri de Neapolitana Colonia, putidum quidem videtur & a me rursus de ea sermo institui, potissimum, cum ea in re tanta excogitata sint argumenta, ut intentatum nobis plane nil sit relictum: at Diatriba, quæ nuper de Neapolitana Colonia prodiit ab laudatissimo Campano Viro, postulat, ut honorem patrium Neapoli vindicemus. Petrus Lasena, in libro de Neapolitano Gymnasio, Fabii Jordanis sententiam profert putantis Neapolim nunquam Romanam Coloniam deductam, at honorificentiam *Romanæ Coloniæ tantum esse consequutam, cum neque linguam, neque mores unquam adepta sit:* „ *Cui quo minus assentiar (ait noster) facit inscriptionum infinita multitudo, in quibus Neapoli genus omne Colonicorum Magistratuum agnoscitur.* " *Part.* 1. *Et quidem Part.* 2. *cap.* 1. *ex quodam titulo Octavio Agathæ posito Neapolim, Romanam Civilitatem, ritum, & mores accepisse arguit, ut ex eo jugulata prorsus remaneat Lasenæ, & Jordani sententia: at in ejusdem Diatribæ* Auctario *extremis lineis ait:* " *Postremo exeunte primo seculo Christiano, ac facile sub Domitiano Principe, Coloniæ Romanæ* decus *sibi peperit: quam demum* nomenclaturam *Neapolis rata* perhonorificam, *adhuc quarto Christi sæculo in marmoribus retinebat.* " *Quod in Lasenæ, Jordanique sententiam incidit, nam honorificam Coloniæ nomenclaturam Neapoli fuisse ab iis proditum est. Minus etiam sibi constans est Vir summus Part.* 2. *cap.* 3, *cum de tempore factæ Coloniæ ratiocinatur, ait enim:* " *Sub eo potissimum Neapolim ex fœderata Republica Coloniam evasisse, verosimillime statuemus.* " *igitur vere Neapolim* πολιτείαν *mutasse ipsi est sententia, nam cum*

eo

eo quod Colonia est facta, fœderatæ civitatis conditionem deperdidit, in Coloniæ conditionem descivisse procul est dubio: non igitur perhonorifica nomenclatura, sed re vera Coloniarum jure est donata.

Nec in ea re tantum minus sibi constans esse Vir summus videtur, nam in ætate Neapolitanæ Coloniæ adsignanda, modo Nerva, modo Domitiano imperante Coloniam factam dicit, ut quænam ejus sententia fuerit, minime adfirmare valeam. Sub Tito Coloniam factam non fuisse, eo utitur argumento, quod si tum Neapolis Colonia fuisset, cum Titus hic esset, Neapolitani non γυμνασιαρχίαν, & ceteras palæstricas dignitates, sed potius Duumviratum ei tribuissent. Pro certo igitur etiam mihi erit, nec etiam Hadriano imperante Coloniam Neapolim evasisse, nam Hadrianus Neapoli Δημάρχου munere functus est: ideoque neque sub Domitiano, neque sub Nerva Neapolis facta est Colonia.

Tradit præterea Vir cl. in Diatribæ P. 2. cap. 3, Neapolim factam, non vero deductam Coloniam: jus scilicet tantum Coloniæ adquisivisse. Compertum quidem est Colonias omnes vel Romano, vel Latino jure præditas; igitur cum Neapolis jure Coloniæ est donata, Latinum, vel Romanum jus est adepta; de Latino supervacaneum quidem erit διατρίβειν: at de Romano plura sunt quæ dicenda erunt: putat enim Vir summus lege Julia Neapolim Civitate donatam esse: verum magnopere fallitur. Lata enim lege Julia Neapolitani Romani Populi fundi se fieri noluere, nam juris sui libertatem Romanæ Civitati prætulerunt: hoc Tullius testatur in Balbo, & evincimur etiam ex Græcanicis monumentis, quibus Reinesius undique scatet. Nec suffragatur per totam Italiam legem Juliam latam fuisse, dummodo enim eam fœderati non adsciverunt, idem erat, ac si lata non fuisset. Fœderati siquidem tum demum Romanarum legum subditi fiebant, cum earum legum fundi se prius statuebant. Legis Juliæ fundos haudquam se fieri debebant Neapolitani, nam ea lege Romana Civitas compartiebatur; qui autem Romana donabantur Civitate, αὐτονομίας integrum exercitium amittebant: hinc non expediebat Neapolitanis patrias leges posthabere, atque in eorum Civitate novum jus constituere. Igitur nunquam Municipium Neapolis est facta, ut Cl. Vir scripsit in Diatribæ auctario, & alibi. Ceterum legem Juliam Neapolim receptam non fuisse Strabo testatur, qui in tota Italia tres tantum urbes Græcas remansisse ait, ex infinitis, quæ in ea sita

tu-

tutæ sunt, quas inter Neapolis adcensetur, cetera enim barbaræ, sive Romanæ jam evaserant. Et quidem magnopere miror visum esse Cl. Viro, tum demum Neapolim πολιτείαν immutasse, cum Coloniæ honore est donata *: cum potius jam pridem, ex quo Julia lex accepta fuit, dicendum erat; nam lege Julia accepta, patrio non dum uti poterat jure. Et rursus miror, cur tempore* Coloniæ factæ *demum Civilitatem Romanam Neapolitani adsciverint, cum jam ipsi ante Tiberii tempora cives Romani facti erant, ut ex Strabone Campanus noster ostendit. Indigna hæc tanti viri pudet me hic repetere: & verba Strabonis καίπερ ὄντων ῥωμαίων, demonstrant Neapolim adauctam esse ex infinitis Romanorum, qui cum innumeri hic confluebant, huic Civitati se addicere curantes Romana Civitate jam deperdita, moribus ipsi etiam, & nominum ratione Romanorum abdicabant.*

Ait deinde Coloniæ jure donatam: Romano scilicet jure: nam post legem Juliam Coloniæ omnes Romani juris effectæ sunt; at pro Deum, atque hominum fidem, quid opus erat Colonos fieri expetivisse, ut Romanam adipiscerentur Civitatem, cum si legis Juliæ fundos Neapolitani se fecissent, jam integro Romanorum jure donati essent: ineptum igitur erit Coloniam hac de causa factam *dicere, nomen præterea Coloniæ haudquaquam* juris *nomen fuit, nam Coloniæ nomen agros tantum respicit, hinc leges* Colonicæ, *leges sunt agrorum finiendorum, adsignandorumque, ut videre est apud Agrariæ rei scriptores. Et Coloniæ eæ dictæ sunt Urbes, in quas Romanorum Coloni immigrarunt ad agros colendos. Sicul. Flac. de cond. Agr. pag.* 2. Coloniæ autem dictæ sunt, quod Populus Romanus in ea Municipia miserat Colonos . . . . . . Coloniæ maritimæ dictæ sunt, quod in iis Romani Colonos miserunt &c. *Hygin. de limit. pag.* 159. *Colonias dictas profert ab agrorum nova dedicatione culturæ. Nec dubium est Colonias eas tantum urbes dictas, quarum ager Romanis civibus colendus dabatur. Quid igitur dicere valebit Neapolim* Coloniæ honore donatam *: loquendi hanc formulam nec Tullius, nec Latinorum quisque habet, neque Asconius, ad quem eruditissimus Campanus provocat, de* honorificis *Coloniis unquam loquutus est.*

Ceterum ut ad Coloniam factam *redeam, sciendum quidem est neque Tullium, neque Livium, nec Latinorum quemquam, Colonias* factas, *at semper* deductas *scripsisse, & quidem pro certo haberem Campanum nostrum primum hujus*

ὀπό-

φράσεως auctorem fuisse, ni scirem Ulpianum, ac Paulum ejusdem ævi scriptores ea φράσει usos primum esse, in quibus tamen libris, cum novi dicendi modus occurrant, lubeat aliquid adnotare.

Occurrit primum Paulus l. 8. ff. de cens. " §. 5. *Divus* „ *Antoninus Antiochenses Colonos fecit, salvis tributis* §. 6. „ *Imperator noster Antoninus Civitatem Emisenorum Coloniam,* „ *& juris Italici fecit* §. 7. *Divus Vespasianus Cesarienses Colonos fecit, non adjecto ut juris Italici essent,* „ *sed tributum his remisit capitis : sed Divus Titus etiam* „ *solum immune factum interpretatus est.* " *En igitur exclamat Campanus, recte quidem dictum* Coloniam *Neapolim* factam *: verum maximopere fallitur, nam Jurisconsultus τὸ* factam *pro* deductam *accipit, nam Antiochiam Antonino Pio Imperatore deductam fuisse constat, & de Cæsarea en quæ Plinius profert lib.* 5. *Cap.* 14. *pag.* 260. *v.* 8. Stratonis Turris, eadem Cæsarea ab Herode Rege condita : nunc Colonia prima Flavia, a Vespasiano Imperatore DEDUCTA. *Quod anno Christi LXX. contigit : idem igitur erit dicere Neapolis* facta *ac* deducta *Colonia.*

Occurrit deinde Ulpiani locus l. 1. *ff. de Cens. his verbis.* " §. 4. *Sed & Emisenæ Civitati Phœnices Imperator* „ *noster jus Coloniæ dedit jurisque Italici eam fecit.* §. 9. „ *item Napocensis Colonia, & Apulensis, & Patavicen-* „ *sium vicus, qui a Divo Severo jus Coloniæ impetravit* ". *Sciendum sane est Provincialium Romani Imperii pessimam conditionem fuisse, nam neque liberorum, neque ceterarum rerum liberum dominium habebant, neque agros* Quiritico *jure possidebant : Caracalla cum Emisenis Coloniæ jus tribuit, eos Romano jure donavit ; at cur ipsos Colonos fecit, cum civitate donare cupiebat ? quia si cives Romani solum fierent, non acquisivissent* Quiriticum *jus in agros, ceterasque res suas, Capita enim tantum juris Rom. videbantur facta : tum cum ipsi Coloni sunt facti, nedum Civitatem Romanam, sed & suos agros* Quiritico *jure colendos acceperunt. Puto etiam iis agros publicos P. R. colendos ab Imp. datos, quod vere Colonorum jus fuit : nam cum quis Colonus erat designatus, jus statim acquisiverat ad publicos agros colendos. Hæc autem quæ adduximus Ulpiani verba argumento sunt, scripta fuisse ante constitutionem ab Antonino promulgatam, qua universo Romano Orbi Civitas Romana est data, tunc enim omnium jura sunt æquata. Latet*

me

me an ea lege, Italicum jus sublatum, quod Cujacius observationum libris male de tributorum exemptione intellectum putat. Contraria mihi est sententia; nec admodum Schwartii opus obtinui, qui de Italico jure plura commentatus est. Ceterum si Ulpiani liber constitutione Antonini jam promulgata, exaratus est, manifestum quidem est, Emisenis agrum publicum P. R. colendum datum.

Ac demum occurrit in eodem Ulpiani libro §. 3. Ptolemensium Colonia, quæ inter Phœnicem, & Palestinam sita est, nihil præter nomen Coloniæ habet. *Eadem hæc videtur Ptolemaides, quam Plinius lib.5. pag.263. a Claudio Cæsare Coloniam deductam scribit, cum vero Coloni extincti fuerint, ideo nihil aliud præter nomen Coloniæ illi remansisse liquidum est: nec obstat quod eam in Phœnicia Plinius ponat, nam regionum quaque die, fines variantur. Sane quidem enim neque Ptolemais Epitheras, vel Pentapolitana esse potest, prior enim est ad mare rubrum, altera vero non videtur, nam Pentapolitanam nominasset ICtus: hoc enim modo scriptam frequentissime videre est in illius ævi scriptoribus. Ceterum quæcunque Paulus, ac Vulpianus scribunt, nec minima ex parte Cl. Campano viro proficient, ea enim de Provincialium jure sunt, ante constitutionem Bassiani Caracallæ.*

Neapolis igitur neque factam Coloniam dici potest, cum facere *idem sit, ac deducere: nec admodum Coloniam deductam Neapolim adfirmare valemus, cum de Coloniæ deductione nulla antiquorum superfit memoria. Neque est quod ad Ligorii, vel Capaccii lapides confugiat, eos enim* falsos *omnino demonstravit clarissimus, atque doctissimus Neapolitanæ libertatis vindex Jacobus Martorellius in suo opere, mox prodituro, de Regia Theca Calamaria.*

Ceterum nedum Neapoli, sed nec etiam patriæ suæ bene consuluit noster Vir summus, scribit enim in Commentatiis in mutilum Campani Amphitreatri titulum Cap. 1. *pag.* 4. *Campanos Posthumio, & Veturio Coss. primum Romana Civitate donatos esse, & quadriennio ante Campanos Equites, non pigeat ejus verba audire.* " *de Civitate Campanis data*
" *meminit & Vellejus* I. 14. ab hinc annos autem CCCL.
" Sp. Postumio, Veturio Calvino Coss. Campanis data est
" Civitas, partique Samnitium sine suffragio. *Nam quod*
" *Livius ad L. Furium, C. Mænium Coss. refert, idest*
" *quadriennio ante Vellej notam, id vero non incomodat,*
" *quia de solis equitibus ibi Livius commemoraverat:* Cam-

 " pa-

„ panis *inquit* equitibus , honoris caufa , quia rebellare cum Latinis noluiffent , fine fuffragio civitas data . “ *Ea quæ de Livio ipse prædicat omnino falsa sunt , nam Livius in adsignanda Campanis Civitate , quadriennio Vellejum præstat, at vero in adsignanda Civitate Campanis equitibus, sexennio sane Vellejum antecedit , eos enim tali honore dignatos profert T. Manlio Torquato , & P. Decio Mure Coss. lib.* 8. *Cap.* 9. Equitibus , Campanis civitas data ; monumentoque ut effet æneam Tabulam in æde Caftoris Romæ fixerunt : *At iis Civitas cum suffragio , & omni jure summo est data . Campanis vero reliquis L. Furio Camillo , & C. Mænio Civitas sine suffragio data est Liv. lib.* 8. *Cap.* 12. Campanis , Equitum honoris cauffa , quia cum cum Latinis rebbellare noluiffent . . . . . . civitas fine fuffragio data . *Et quidem ridiculum esset , si de Campanis Equitibus rursus loquutus esset Livius , atque eis sine suffragio Civitatem datam scripsisset , cum jam ante omni pleno jure Romanos Cives factos dixerat.* Campanis, Equitum honoris cauffa *habent MSS. Rott. Voss. MSS. Leid. ambo. Lovel.* 1. *Florent.Harlej.* 1. *& Klochian. ex Drachempork: Atque eo modo a Livio scriptum evincimur ex verbis Varronis Cos. qui cum Venusiæ esset , Campanorum Legatis adloquens ait . Liv. lib.* 23. *Cap.* 2. “ *adjicite ad hæc quod fœdus æquum dedimus , quod leges nostras , quod ad extremum id quod ante Cannensem certe cladem maximum fuit , civitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus communicavimusque vobiscum .* “ *Igitur non universis Campanis integrum Civitatis jus datum est . Idem Livius alibi ait de Campanis .* „ *Cives Romanos affinitatibus* plerofque , *& propinquis jam cognationibus , connubio vetusto junctos .* “ *quæ omnia satis demonstrant non æquatam Civitatem universis Campanis datam fuisse , cum Equitibus , quod cum Latinis non rebellassent A. V. C. CDXV, integra Civitas data , Campani vero reliqui , Equitum honoris causa anno CDXX. Civitate sine suffragio donati sint . Minus tamen consulte Vellej. rationem Livio Campanus eruditissimus profert , illum enim Velleji locum contaminatissimum esse demonstrat Pighius ad annum V. C. CDXVII. Veniam posco si ex via transgressus sum .*

(57) *Carol. Sigon. de Antiqu. Jur. Ital. lib.* 1. *Cap.* 4. *vers.* 14. (58) *Liv. lib.* 8. *Cap.* 8. (59) . *Idem Livius eodem loco .* (60) *Sigon. de Jur. Ital. lib.* 1. *cap.* 4. *initio .* (61) *Sigon. de Antiq. Jur. Civ. Rom. lib.* 1. *cap.* 17. (62) *Dionys. Alic.*

Alic. Antiqu. Rom. lib. 8. (63) *Id. Dionyſ. lib.* 8. *pag.* 537. *ed. Sylburg.* Latinos enim dignos-cenſebat in diviſione agri complecti, & Ernicos noviter in Civitatem receptos: *ita enim* familiares ſibi parabat (*vel reddebat*) hos populos. (64) *Sigon. de Antiquo. Jur. Ital. lib.* 1. *Cap.* 4. (65) *Idem Dionyſ. lib.* 8. *pag.* 540. Diebus autem inſequentibus infirmitatem ſimulans, non amplius deſcendebat in forum, ſed manens intus *domum* negotiabatur vi, & violentia, ut legis promulgationem adipiſceretur. Accerſebat Latinos, & Hernicos quam poterat plurimos ad ſuffragii-lationem, illi vero veniebant frequentes coacervati, & per paucum-tempus *jam* plena hoſpitum erat Civitas. Hæc Virginius intelligens, edici juſſit (*repone* κηρύττειν) per compita, abire non abitantes in Civitate, tempus definiens breve. Caſſius autem juſſit edici permanere participes-factos propriæ-Civitatis, uſque dum ferretur lex. ἐπικυρωθῇ *repone pro* ἐπιχειρωθῷ. (66) *Dionyſ. lib.* 8. *pag.* 445. (67) Romanis, Latinorumque pupulis pax ad invicem eſto, uſque dum & Cœlum, & Terra eundem ſtatum habebunt. Neque ipſi duellabunt ad invicem neve alibi duella agent, neve duellum ferentibus tutum inter præbeant, auxilient vexatis bello totis viribus; prædæ, ſpoliarumque in communi bello *partarum* æqualem ſortiantur partem ambo. Contractorum judicia in iis locis, in quibus contractum fuerit, intra decem dies finiantur: hiſce autem conditionibus, neque quid addere, neque quid auferre liceat, niſi Romanis Latiniſque ſimul omnibus viſum fuerit. (68) *Liv. lib.* 1. *Cap.* 18. *V. C.* 261. *Ita fuſi Volſci, Antiates, Corioli Oppidum captum, tantumque ſua laude obſtitit famæ Conſulis Marcius, ut niſi fœdus cum Latinis columna ænea inſculptum, monumento eſſet, ab Sp. Caſſio uno, quia collega abſuerat, ictum, Poſtumum Cominium bellum geſſiſſe cum Volſcis, memoria ceſſiſſet.* (69) Quid vero memorem triginta Latinorum populos, qui vel ſummopere optaverunt pro nobis propter cognationem dimicare, ſi modo equum civitatis jus, quod precibus aſſiduis petunt ipſis decernatis. (70) *Cic. pro Balbo cap.* 23. (71) *Liv. lib.* 8. *cap.* 12.

CAPUT V.

Coloniæ Venusinæ Respublica.

QUISNAM Venusinorum Reipublicæ status, dum liberi erant, fuerit, plane ignoramus; neque nobis certum est, num Græcam, vel potius Latinam amplexi fuerint πολιτείαν, cum eorum Civitatis imperium Samnites obtinuere. At hæc incerta linquens ad Coloniæ Rempublicam explicandam animum convertam, cujus notitia, cum ex litteratis vetustis lapidibus facile assequi possimus, in hac exponenda paululum immorabor. Jam primum omnium satis constat Colonias, Romanæ Urbis effigies parvas, simulacraque fuisse (1): quot enim gentium ordines Romæ aderant, tot etiam & in Coloniis, nomine tantum inter se diversi: qui enim Romæ Senatores appellabantur, in Coloniis Decuriones dicti sunt. Igitur primum videamus, num ii in Venusina Colonia fuerint.

Decuriones quidam dictos ajunt ex eo, quod initio cum Coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducerentur, concilii publici causa conscribi solita sit (2): at Stoicorum quidem hoc etymon est: diversum sane Livius (3), Dionysiusque (4) præbent. Non pauci quidem extant Venusiæ lapides, quibus Decuriones ea in Urbe fuisse clare evincitur: primum recitabimus fragmentum (5)

VE-

. . . .
VENVSEI MONVMENTVM
PVBLICAE . FACTUM D. D.

ubi in extremis vocibus *Decreto Decurionum* legendum minime ambigendum est. Decurionum numerum centum in præcipuis Urbibus fuisse Sigonius ex Cicerone (6) ostendit, nec ego centum plures Venusiæ fuisse contendam. primo tamen Vrbis Venusinæ ævo Decuriones, Senatores dictos, ex duobus vetustissimis lapidibus facile credendum puto. hos vero lapides Matthæus Ægyptius in Senatusconsulto Bacchanalium exponendo etiam adducit (7), de Bacchanalibus in ipsis actum existimat, minusque scienter unius edicti fragmenta putat. Diu agitatum me tenuit, quod horum lapidum sententiam attingere non quiverim, quæ difficillima mihi sane videtur, potissimum cum lapides undique ævo, & gentium barbarie fracti, consumpti, & corrupti sint, ut vides (8):

. . . .
Q. RAVELO
P. COMINIO P. F.
L. MALIO C. F.
QVAISTORES
SENATV D
CONSVLVERE
IEI ... CENSVERE
AVT SACROM
AVT POVBLICOM
... SE ....

. . . .
.... NATV
CONSOLTV LE...
AVT SACROM
AVT POVBLIC...
LOCOM ESE Q...
CENSVERE.

Pu-

Putaram equidem horum lapidum ſententiam in medium relinquere, atque ex ipſis, Venuſini Senatus tantum notitiam excerpere, at ne ſegnitiei ſocordiæque meæ quis imputaret, ex propemodum ſexcentis, quas ſum excogitatus, unam tantum proferam, quæ mihi omnium accomodatior plane viſa eſt, non ita tamen ut in eam jurem, at ex omnibus minus incongruam.

Hos lapides puto, vel in foro, vel in templi alicujus veſtibulo poſitos, ut ex iis Civibus Venuſinis compertum ſemper eſſet locum illum, ſive aream, ex Senatu-conſulto publicam, ſacramve decretam eſſe: quod ita factum puto. Cœperant forte Venuſinorum quidam aream ædificare, qua Pontifices augurium agere ſoliti fuerant, quod ſcilicet auguraculo utebantur, cumque & ad relligioſa, & publica officia eſſet accomodata, orta inter Pontifices, ac illos lite, res ad Senatum delata eſt: Senatus vero, cum Quæſtoribus potius hoc interfuiſſe cenſuiſſet, quippe qui aerarii publici, rerumque ceterarum publico uſui addictarum curam haberent, ipſis ſententiam proferre juſſit, qui pontificia, & publica auctoritate freti, publicum ſacrumque decrevere locum. Non data erat enim Pontificibus poteſtas locum aliquem ſacrum definire, ni publica acceſſiſſet auctoritas, ait enim Marcianus „ (9) Sacræ autem res ſunt quæ publice [*ideſt publica auctoritate*] conſecratæ ſunt „ quod tamen Ulpianus apertius explicat (10) „ Sacra loca „ ea ſunt, quæ PUBLICE ſunt dedicata, ſive in „ Civitate ſint, ſive in agro. Sciendum eſt lo„ cum publicum tunc ſacrum fieri poſſe, cum „ Princeps eum dedicavit, vel dedicandi dedit po„ teſtatem „. Perſpectum quidem eſt Ulpiani tempore

pore auctoritatem omnem sibi Imperatores vindicasse, quæ dum libertas vigebat, penes Senatum Populumque erat. Gallus Aelius (11) ait, sacrum esse quocumque modo, *aut instituto Civitatis* consecratum sit, sive ædis, sive ara, sive signum, sive locus, sive pecunia, sive quod aliud, quod diis dedicatum, atque consecratum sit. Pontifices igitur, ut sacer decerneretur locus, Senatus auctoritate indigebant; neque ipsi auctoritate propria sacrum locum aliquem tueri poterant, ideoque ut sacra custodirentur, Prætor illis edicti cavit verbis (12): *In loco sacro facere, inve eum immittere quid veto*; quod quum etiam de publico edictum esset, ne idem publico, ac sacro loco jus esset, ait Ulpianus (13) „ Si quis nemine prohi„ bente in publico ædificaverit, non esse eum co„ gendum tollere, ne ruinis Urbs deformetur, & „ quia prohibitorium est interdictum, non resti„ tutorium, si tamen obstet id ob ædificium pu„ blico usui, utique is, qui operibus publicis „ procurat, debeat id deponere, aut si non ob„ stet, solarium ei imponere . . . . Locorum sa„ crorum diversa causa est, in loco enim sacro, „ non solum facere vetamur, sed & factum resti„ tuere jubemur: hoc propter religionem „. Vide igitur, quam necesse sacris in rebus esset, ut Prætoria (quæ eadem est, ac publica) auctoritas accederet. Ceterum Pontifices potestate, & imperio caruisse Livius (14) est auctor. Ex nostro igitur epigrammate tres plane elapsos versus puto, ideoque ita legendum:

COL-

COLLEG. PONT
ADPROBANTE
. . . .
Q. RAVELO
P. COMINIO P. F
L. MALIO C. F
QVAISTORES
SENATV D.
CONSVLVERE
IEID. CENSVERE
AVT SAC ROM
AVT PVBLICOM
ESE LOCOM.

Tres enim viri, qui ablativo caſu in lapide ponuntur, hi niſi Sacerdotes eſſe non poſſunt, quibus qua ratione quartum addendum duximus, deinceps dicam. Nec enim Magiſtratus videntur eſſe, tres enim ſunt, & Venuſiæ ſummos omnes Magiſtratus duoviros omnes fuiſſe videbimus: quod ſi Magiſtratus eſſent, annum equidem Senatuſconſulti denotarent (15). *Adprobante igitur Pontificum Collegio* ſuperius ſcriptum puto, aliter enim ſacer decerni locus non poterat, *Quæſtores Senatu decernente*, (16) *& ſacrum*, *& publicum locum conſulunt*, *& cenſent eſſe*. Particulam *aut* ſæpius, & linguæ Latinæ ævo pro conjunctiva *ET* ſumptam, Diomedes (17), ceterique antiqui Grammatici docent. Hæc ſunt, quæ ut ἀσύντακτον fragmentum explicarem, excogitavi, eaque ita dicta volo, ut libertatem aliter ſentiendi nemini impediant.

Altero in lapide Pontificum nomina omnino

no deperdita inſpiciuntur, quod vero ſupereſt facile ita ſupplendum exiſtimo:

. . . .
. . . . . . SENATV
CONSOLTV DEC. VE
AVT SAC ROM
AVT POVBLICOM
LOCOM ESE QQ.
CENSVERE

Senatu ſcilicet *Conſulto*, *decretove*, *aut ſacrum*, *aut publicum*, *locum eſſe Quæſtores cenſuere*: forte etiam *conſuluere* addendum, at in ima parte finitum viſitur epigramma.

Scio equidem Urbe Roma diverſum fuiſſe Pontificium, ac Augurum Collegium, nec me fugit Augurum in Coloniis, frequentiſſimas in Gruteri Theſauro memorias ſupereſſe, atque ideo, cum diximus *locum ſacrum*, *&* *publicum in auguraculum delectum*, potius petentibus Auguris, quam Pontificibus, ſcribere debueram. Hanc quidem ſententiam non reſpuo, at Augurum Venuſiæ nulla memoria ſupereſt. Quod ſi Augures ſubſtituere placeat, ponendum erit, *Collegio Augurum auctore*, ut apud Gruterum (18).

Arbitrium voſtrum, voſtra exiſtimatio
Valebit. Quam ob rem omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquum poſſit, quam æquum oratio.
Facite æqui ſitis.

Sed ut ad rem redeam: vides in duobus hiſce fragmentis Senatus Venuſini memoriam, quod cum Ægyptius forte non crederet, de Romano Se-

natus Consulto hisce lapidibus actum exputavit: ego quidem nil monstri hic reperio, scio sane Decurionum ordines in Coloniis sæpius Senatus appellatos. Sexcenta pene sunt exempla, at ea tantum, quæ ante oculos nunc mihi sunt, hic proferam. Primum est Signinæ Coloniæ (19):

L. VOLVMNIO L. F. POMP. IVLIANO SEVERO IV VIRO COL. SIG. PATRONO COLONIÆ SVÆ SENATVS POPVLVSQVE SIGNINVS.

Alter ex Tacito (20) " iisdem Consulibus audi„ tæ Puteolanorum legationes, quas diversas Se„ natorius ordo, plebsque ad Senatum miserant." Et in Gruteri Thesauro Inscriptionum, haud semel Decurionum Colonicorum decreta *Senatusconsulta* appellatur (21). Senatus porro *Decurionum* ordines appellatos Justini Imperatoris ultra etiam tempora, missis propemodum innumeris, quæ in Pandectis habemus exemplis, ipsius Justini Novella quædam Constitutio ostendit (22)" Qui rempublicam „ olim nobis exposuerunt, existimaverunt opor„ tere secundum Regiae Urbis instar adunare „ in unaquaque Civitate nobiles viros, & uni„ cuique Senatus dare, & Curiam, per quam de„ buissent agi, quæ publica sunt, atque omnia „ fieri secundum ordinem ". At Senatus nomen in Decurionum Ordinis appellationem abiisse, omnia, quæ producemus vetusta monumenta docent. Ceterum Romanum etiam Senatum *Curiam* vocatam, Livius (23) sexcentis in locis est auctor.

Videamus modo qui fuerint Venusiæ Magistratus, qua in re occurrit mihi primum lapis ni-

nimiæ raritatis P. Enniis positus, ex quo omnium fere Venusiæ Magistratuum notitiam consequor (24).

P. ENNIO P. F. HOR. BASSO AED. BIS IIVIR
ID. BIS IIVIR. QVINQ. PONT. Q. IV. CVR. PEC. PVB.
IV. DIC. IX. DEC. QVINQ.
P. ENNIO P. F. HOR. MAXIMO AED. II. V

P. Ennio, Publii Filio, Horatia, Basso, Ædili bis duoviro, Iduario bis, Duoviro quinquennali, Pontifici, Quæstori quarto curanda pecunia publica, Juri dicundo nonum, Decurioni Quinquennali. P. Ennio Publii Filio, Horatia, Maximo, Ædili duoviro.

AED. BIS IIVIR. Et primum Ædilitatis munere bis functum Ennium patet, cui muneri num operum publicorum curam Venusini adjecerint, ego dicere non ausim, potissimum cum Urbis murum a Duoviris refectum, ex alio lapide accipiemus. Publica quidem munera curasse ex monumento posito Catiniano Maximo certius sane est. Duos præterea Ædiles Venusiæ fuisse, ex alio antiquo epigrammate vides, at non summos Reipublicæ Magistratus, ut in aliis Coloniis: Duoviratus enim omnibus præstiterat (25), quorum Venusiæ frequentes supersunt memoriæ. Nec etiam juridicundi potestatem iis adjectam, ut Novariæ proditum ex Svetonio est (26): " Cajus Albutius „ Silus Novariensis, quum Ædilitate in patria „ fungeretur, quum forte jus diceret, ab iis, con- „ tra quos pronunciavit, pedibus e Tribunali de-

„ tractus est “. Venusiæ enim præter Ædiles, ac Duoviros juridicundo, etiam diversos Duoviros fuisse, ex ipsis Urbis priscis monumentis. ostendam.

De Ædilibus Coloniarum integrum scripsit librum Everardus Otto, in quo licet maximum insumpsisset laborem vir clarus, parum tamen adhibuit ingenii. Conjicit enim muneri ædilicio rerum pene omnium publicarum, sed potissimum *Civitatum*, *Ludorum*, *Annonæque* curationem, qua in re quam sæpe, & maxime ipse hallucinetur, non est ut narrem. Reticere tamen non possum, quonam pacto ex Indis, Aegyptis, Persis, aliisque barbaris gentibus Ædilicii muneris Romanorum in Coloniis notitiam assequi posse sibi persuadeat (27). Qua in re admonendum duco sæpius nos, cum de exterarum gentium rebus, lingua, ac moribus a nobis dissimilium, sermonem habemus, ut eas captui faciliores reddamus, brevioremque quibusque de rebus sermonem instituamus, nostris uti vocibus: cum vero singulæ notiones singulis coram gentibus, diversam obtineant vocem, hinc est, quod unica voce admodum difficile sit plures ideas gentium exterarum denotare, contra vero facile quidem esset, si oratio institueretur de simplicibus ideis, συνώνυμα verba invenire, & unico nos exprimi vocabulo, sicque recte oratio procederet; cum vero sæpius unica voce plures notiones patefacere conamur, hinc est quam sæpe, licet inviti in errores labamur: clariorem exemplo rem faciam. Tacitus (28) ut diceret Germanos Deum belli præfectum habuisse, ac coluisse, *Martem* eos adorasse scribit; diverso hercle verbo utebantur Germani, ut hunc Deum belli præfectum nominarent: ipsi enim a Romanis

nis diverso usi sunt sermone : verum Deorum omnium Principem, omniumque maximum hunc Deum Germani putabant : omnino contra Romani, qui Martem Jovis filium, Jovique subditum credebant. Ita etiam sane Strabo, ut Indos Urbium munditiem curasse scriberet, eos ἀστυνόμους habuisse dicit, ἀστύνομοι enim apud Græcos vocati sunt, qui ædificiorum curam haberent. Lapsum proinde omnino Ottonem puto, cum ex Græcis, aliisque exteris gentibus Coloniarum Romanarum Ædilicii muneris notitiam assequi conatur; neque Græcorum ἀστύνομοι, & ἀγορανόμοι Coloniarum Ædilibus adsimilari debent, primum quidem quibusdam in Coloniis principes Magistratus fuisse, evidenter, aliis prætermissis, Spartiani locus de Hadriano (29) ostendit. Hadrianus enim munera principalia quibusque in oppidis obiit. In aliis præterea Civitatibus Ædiles jus dixisse compertum ex Svetonio est, & innumeris lapidibus : qua in re etiam Otto peccat, cum putat Juri Dicundi notam Ædilibus Coloniarum adjectam, de jure inter venditores, ædificiorumque structores, atque alios ibi dictum. (30) Ac demum Ἀστύνομοις περὶ τῶν κοπρολόγων curam adjectam Suidas est auctor [31], & Plutarchus ait (32) ipsos περὶ τοὺς στενώπους ἐκβολῆς κοπρίων, καὶ ῥευμάτων ἀποτροπῆς curasse. quæ munera num Coloniarum nostrarum Ædilibus curæ fuerint, nullum extat monumentum, ex quo id adfirmare valeamus : librique Papiniani Græcum fragmentum de Urbanis Ædilibus procul dubio loquitur, ita recte Gothofredus (33) scripsit, cui nimis inepte Otto adversatur, Heroaldum nimium hac in re imitatus. Vide quæso, quibus ipse utitur verbis.

„(34)

„ (34) Quid enim causæ fuisset, cur Papinianus „ eorum munus Græca lingua exponeret? & cur „ Astynomos suos jubet studere, ut viæ secun- „ dum *quamque* Civitatem exæquentur, & qui „ vias effodiunt secundum *cujusque municipii* le- „ gem multentur? nisi quod Ædiles Græcanica- „ rum Civitatum de munere suo instruit. „ Miror equidem ipsum latuisse tot juris-consultos Græce tot libros scripsisse, cum etiam de Romanorum jure egerint; at pudet ejus malignitatem noscere, ait enim Papinianum loquutum *de quaque Civitate, & de Municipalibus legibus*, cum Papiniani sint verba Οἱ ἀστυνόμοι ἐπιμελείσθωσαν τῶν κατὰ τὴν πόλιν ὁδῶν . . . . Οἱ δὲ ἀστυνόμοι ζημιούτωσαν κατὰ τὸν νόμον, καὶ τὸ γεγονὸς καταλυέτωσαν (35). Nullum igitur dubium erit, ut de Urbis Ædilibus Papinianum locutum, cum Gothofredo credamus.

Ingenue quidem fateor adhuc mihi dubium esse, num areas publicas, mensurasque, ac pondera Venusiæ Ædiles curasse, cum hujus rei nullum supersit monumentum, nec moveor quod Ulubris (36), & alibi mensuras Ædiles curasse evidenter appareat, & sæpe in πανδεκτῶν libris mensurarum cura Ædilibus tribuatur, scio enim singulas Colonias diverse πεπολιτευμένας εἶναι; quod etiam de annonæ curatione dictum volo. Et quidem miror ipsum Ottonem (37) Ædiles annonam curasse, probare ex Papiniani responso, cujus hæc sunt verba (38). „ Ideo condemnatus, „ quod arctiorem annonam Ædilitatis tempore „ præbuit, frumentariæ pecuniæ debitor non vi- „ debitur: & ideo compensationem habebit „. Sententia hujus legis est, Ædilem ex annona, quam

quam eo anno, dum Ædilitatem agebat, & in publicum horreum inferre debebat, partem detraxisse, ideoque arctiorem fecisse. Curatores annonæ, qui dum Ædilitatem gerebat, eum convenire non poterant [39], exacto vero Ædilitatis anno eum conveniunt, ac ideo condemnatus vere arctiorem suam partem *præbuisse*, cum jam insumptum esset frumentum, ex quo annona sumi oportebat, pecuniæ debitor condemnatus est: de ea quidem pecunia compensatio datur. Ceterum arctiorem suam partem præbuit, non quia annonam ipse curasset, sed quoniam ædilitatis tempore nemo eum convenire poterat, parcendum ideo sibi putavit. Quod si annonæ caritatem Ædilis fecerit, partem ex horreis publicis detrahendo, peculatus criminis ipse reus esset, ac inde lege Julia teneretur. Quidquid enim in horreis publicis est positum, idem est, ac publica res, vel pecunia. Nullo igitur pacto compensatio peculatus crimini dari posse apparet, cum ipsius sit pœna & deportatio, & jurium, bonorumque omnium amissio (40). Evidens præterea est, quemque Civem frumenti partem in publicum horreum conferre quoque in anno debere, eaque pars annona est dicta, eamque præbere munus patrimonii est, a quo nemo vacationem obtineri potest (41).

Rursus ait Otto (42) Sitonas, Olearios, & Episcopos, *Ædilium fuisse adjutores, nec Magistratum gessisse, sed personali tantum munere functos*. Dii boni, Otto ipse sic loquitur! Fugerat ipsum forte Arcadii Charisii JCti locus in libro singulari *de muneribus Civilibus*, ex quo Hirenarchas, Viarum Curatores, & Judices, qui absque dubio inter ma-

Magistratuum primores habiti sunt, personali dicit munere functos: (43) „ Hirenarchæ quoque, „ qui disciplinæ publicæ, & corrigendis moribus „ præficiuntur. Sed & qui ad faciendas vias eligi solent, cum nihil de proprio patrimonio in „ hoc munus conferant. Item Episcopi, qui præsunt pani, & ceteris venalibus rebus, quæ Ci„ vitatum populis ad quotidianum victum usui „ sunt, personalibus muneribus funguntur . . . . „ Judicandi quoque necessitas inter personalia „ munera habetur. „ Quid igitur dicere valebit Episcopos, Sitonas, & Olearios non *magistrali*, sed *personali* functos munere, cum quæque munera, quæ animi provisione, & corporalis habitus intentione sine aliquo gerentis detrimento perpetrentur, personalia sint (44): potius forte dici oportuerat, munus equidem fuisse, non vero honorem: & quidem Callistratus ait (45). „ Honor „ municipalis est administratio Reipublicæ cum di„ gnitatis gradu, sive cum sumptu, sive sine ero„ gatione contingentis „. Cum erogatio adest, tum nedum *personalis*, sed *patrimonii* etiam munus erit, licet sit honor, sive magistratus.

Ut vero ad annonam redeam, miror rursum, cur ex Thessalis Coloniarum Ædilibus normam extruat Otto; Apulei enim adducit locum, ex quo in quadam Thessaliæ Urbe Ædiles Annonam curasse evincitur. Parvi etiam refert in Campaniam etiamdum ab Ædilibus curatam annonam, ut ex Petronio Otto ostendit (46); Coloniarum enim Magistratus singulis in Civitatibus diver sos, ac dissimiles fuisse undique patet. Et sane si quaque in Urbe Ædiles annonam curarunt, quid

quid erunt profecto annonæ, vel frumenti Curatores, & alimentorum Præfecti, quorum frequentes in priscis lapidibus visuntur memoriæ? Scio equidem nodum solvisse Ottonem, putantem eosdem Ædiles fuisse, ac annonæ Curatores: suam sententiam antiqua firmat ἐπιγραφῇ, eamque ob causam acriter nimis Cujacium notat (47), quem quidem Everardum orarem, ut lacessere desineret, nimium enim raro summus, ac clarissimus Vir ille fallitur. Ego eodem Prænestino ἐπιγράμματι, quo ipse Otto utitur, Ædiles ab annonæ Curatoribus diversos fuisse, evidenter ostendam (48).

CN. VOESIO
CN. FIL. APRO
QVAESTORI . AEDILI . II. VIRO
FLAMINI . DIVI . AVG. VI VIRO
AVGVSTALI . CVRATORI . ANNON .
TRIENNIO . CONTINVO . CVRAT .
MVNERIS . PVBLICI . GLADIATORI . III
QVOT . IS . TEMPORE . HONORVM . CV
RARVMQ. . SVARVM . PLENISSIMO
MVNIFICENTIAE . STVDIO . VOLVPTATIB.
ET . VTILITATIBVS . POPVLI . PLVRIMA
CONTVLERIT . LVDVM . ETIAM . GLADI
ATORIVM . ET . SPOLIAR . SOLO . EMPTO
SVA PECVNIA EXTRVCTVM . PVBLICE . OP
TVLERIT.CVIVS.MERITIS.POSTVLANTE.POPVLO
STATVAM . PVBLICE . PONI . PLACVIT . D. D.

Et primum, supervacaneum omnino foret Voesium curationem annonæ habuisse in lapide apponi, cum jam ipsum Ædilem fuisse scriptum esset, evidens enim est, cum dico L. Titium Romæ Prætorem fuisse, dictum tum a me etiam, jus

ab L. Titio Romæ dictum. rursus si lapis Voesio positus Ædiles annonam curasse demonstraret, statim, ac dixerat *AEDILI II. VIRO*, oportuerat sane subdere *CVRATORI ANNONAE*. Ac demum si ex eo quod Voesium Ædilitatem, & annonæ curationem gessisse idem lapis ostendit, adfirmare voluerimus Ædilitati annonæ curatio: em addictam fuisse, æquum magis erit, & Flamines divi Augusti, & Seviros augustales Ædiles omnes credere, quo quidem nil ineptius dici, aut excogitari potest. Hæcque Ottonis sunt argumenta, quibus ἀγορανόμους Athenienses (49) Coloniarum Ædilibus similes probat. sed ad lapidis interpretamentum redeamus.

ID. BIS. Habuisse singulas Civitates Magistratus alimoniæ præfectos, procul mihi videtur dubio, (potissimum cum ex lapidibus frequenter appareat), qui singulis Kalendis, cum negotiatoribus pecuniam darent, Idibus advenientibus ex ipsis frumentarias merces expetere debuissent. Mos enim antiquis fuit negotiationem ita instituere, ut quod Kalendis impartirentur, idibus advenientibus repeterent, qua de re elegans extat Horatii locus (50)

Hæc ubi locutus fœnerator Alphius,
Jam jam futurus rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

Hinc ego puto Venusiæ Duoviros iduarios factos, quod nempe idibus singulis advenientibus relegerent publicam pecuniam. Exstat apud Gruterum (51) Iduariorum Conlegii exemplum; at publicum personale munus Iduarium fuisse ex eo non satis ap-

apparet : unicum præterea antiquum supereſt epigramma, quod nimium mihi falſitatis, vel corruptionis redolet. Illud tamen exponere conati ſunt Pithæus, Noodt, & eruditorum alii quamplures. Ceterum publicum munus Iduarium fuiſſe ex eo arguo, quod obſoleta libertate, cum Reſpublica unius pareret imperio, ſæpius ab Imperatore Coloniis Kalendarii Curatores dati ſunt, quos quidem pecuniam publicam curaſſe minime ambigitur, eodemque functos munere, quo Iduarios diximus, eoque Kalendarii Curatores dictos, quod ſcilicet ſingulis Kalendis pecuniam fœneratu dari curabant. Quotquot percurri rerum harum Scriptores, neminem alimoniæ præfectos Iduarios, vel Kalendariorum Curatores ſcripſiſſe reperi, omnes enim pecuniam publicam tantum hos Magiſtratus curaſſe ſcribunt: ego licet eorum ſententiæ refragari non audeam, puto tamen alimentorum curam hiſce etiam adjectam. Qua in re omnino mihi adverſatur Everardus, qui totis, ut jam prædiximus, viribus oſtendere conatur ſingulis Coloniis, vel Municipiis Ædiles annonam curaſſe, ejus tamen ineptias leviter mihi tetigiſſe ſufficiat.

At Iduarium in P. Ennii monumento notatum fuiſſe mihi equidem non perſuadeo, ubi ID. nota Duumvirum *Juri Dicundo* dici haud poteſt, rurſus enim *Juridicundo* nonum legitur. Ni forte legere mavis *P. Ennio, &c. Ædili bis duoviro, IDem bis Duumvir Quinquennalis &c.*, quam lectionem magis probandam duco.

II VIR QVINQ. Quinquennalis vero duumviratus ſæpius in Coloniarum aliarum monumentis

tis occurrit memoria, cujus munia ut recitem, neſcio unde hauriam: ex quodam junioris Plinii loco publicarum impenſarum moderatores fuiſſe Eruditorum quamplurimi duxere: horum tamen ſi ſtet ſententia, paulo poſt videbimus. Diverſum ſane Quinquennalem Duoviratum habe a ſummo Duoviratu, quem unius anni tantum munus fuiſſe, ex Conſtantini verbis ad A. Tiberianum (52) apparet, uti cetera Coloniarum munera, quæ ſi annum excedant, vel ſi integrum non conficiant, expreſſe in lapidibus ſcripta cernimus; qua de re præſtantiſſima Campanorum potiſſimum magiſtratuum extant exempla apud Gruterum, & alibi. Ceterum hac in re mire labitur Pancirolus, aliique, cum Duumvirum quinquennalem eundem, ac ſummum Duumvirum eſſe putant: hujus enim in manibus rerum ſumma pene, & ſumma auctoritas erat, contra vero in illo. Erunt forte Municipia, Coloniæque, in quibus rerum ſumma penes Quinquennales Duoviros fuiſſe probetur, at non ideo idem jus omnibus Coloniis, ac Municipiis invaluiſſe adfirmandum.

Clariſſimi quidam viri Quinquennales in Coloniis eodem functos munere, quo Romæ Cenſores credidere, Conſtantini legem, Pliniique epiſtolam, hanc ut firment ſententiam, adducunt, quam cum ego attente legiſſem (53), de Virginio Rufo Conſulari viro ibi actum reperi, qui in noviſſima ejus valetudine, veritus ne forte inter quinqueviros crearetur, qui minuendis publicis ſumptibus judicio Senatus conſtituebantur, quum illi tot amici ſenes, conſulareſque ſupereſſent, ipſum Plinium, per quem excuſaretur, elegit. Nec Plinius

quin-

quinquennios, ut ipsi notant, sed *quinqueviros* scripsit, & Rufus Romæ Quinquevir esse nolebat, non vero in Coloniis. Et Constantini demum, qua nituntur, lex, Quæstorio potius, quam Censorio functos munere demonstrat. Sunt ejus verba: "Si „ quis (54) eos vexaverit, centum millia aure„ orum ærario inferat, a Magistratibus, vel „ Quinquennalibus exactus ".

Censores equidem in Coloniis fuisse sane ostendit evidens Livii locus (55) de decem Latinis Coloniis " Censumque in iis Coloniis agi ex for„ mula ab Romanis Censoribus data: dari autem „ placere eandem quam Populo Romano: defer„ rique Romam ab juratis Censoribus Colonia„ rum, prius quam Magistratu abirent ". Est etiam Plinii ad Trajanum Imp. epistola, in qua Bytinios censoribus etiam usos fuisse, videre est. (56) At duumviros quinquennales Censores fuisse durum adeo mihi videtur, ut mihi persuadere non valeam; negare quidem non audeo quinquennales etiam Romæ Censores fuisse, usquequo Mamertinus dictator (57) annuam, & semestrem eam potestatem fecisset, at duo quæ nobis ex Latinis scriptoribus loca supersunt, non alio vocabulo *Censores* in Coloniis vocatos ostendunt, potissimum Plinii Epistola, quam integram vide, eam enim inferne addendam curavimus. Non est igitur res tam certa, ac evidens, ut Otto juret, in Coloniis pro Romanis Censoribus, Quinquennales, censum agentes fuisse. [58].

PONT. Pontificatus dignitatem in Coloniis etiam fuisse Cicero in Agraria est testis [59]. Num vero Venusia Pontificem Maximum, ac mi-

minores fuisse Pontifices, cum ex nostro non appareant lapide, adfirmare haud duco. Quatuor tamen Pontifices Venusiæ extitisse credo, eosque a Triumviris Coloniæ deductores institutos, qui ut Colonias Romanæ adsimilarent Urbi, quatuor instituisse credendum est, tot enim & a Numa (60) Romæ primum creati sunt. Huc apponam aliud Venusinæ lapidis fragmentum elegantibus, ac palmaribus litteris insculptum, quo Pontificis [Venusini forte] memoriam vides (61).

.... VRIT. TR. MIL. PONT ....

Q. IV. CVR. PEC. PVB. Quæstores in duobus aliis monumentis novimus Venusia fuisse, publicique Ærarii curam gessisse conjectavimus, at in P. Ennii monumento, curanda pecunia publica expresse legimus creatos. Alio ex lapide publicorum munerum curationem Quæstoribus adjectam accipiemus. Puto etiam de Quæstoribus locutum esse hæc duo Venusinæ antiquitatis fragmenta (62).

.... AERARIO . ER......
(63) .... MVR. ....
.. ESTORI ...

Otto suis ex Coloniis Quæstorium munus pene expellit: at cum ex oratione C. Gracchi (64) apud Theanum Sidicinum balnea Quæstores curasse compertum esset, qua de re etiam Ædilibus curæ additæ, ex πανδεκτῶν libris apparet, Ædilium ideo adjutores, ipsos Quæstores fuisse putat (65): &

Voe-

Voesii monumento, quod supra recitavimus, obliviscitur, in quo Quæstorium munus Ædilicio præponitur, quod scilicet ipsi forte præesset (*66*), quam in sententiam infinita propemodum exempla invenies, si primas Gruteri paginas percurras. Ceterum de Quæstoribus deinceps erit sermo.

IV. DIC. IX. Duoviros præterea Juridicundo Venusia creatos fuisse, clarius ex alia, quam recitabimus ἐπιγραφῇ apparebit, eosque sane a duoviris diversos. Juridicundo enim Duoviros Prætorum munus in Coloniis gessisse inter omnes quidem constat, sicut, & Duoviros Consulum imagines fuisse. Qui tamen in Venusina Civitate Duoviri juridicudo a Duoviris diversi reperiuntur, nimium raro in priscis lapidibus apparent. Scimus equidem claros viros scripsisse abs Hadriano duoviros Ἄρχοντας vocatos illis verbis (*67*) Τὺς Ἄρχοντας, ἐν ᾧ ἄρχυσιν ἐνιαυτῷ, μήτε εἰσιέναι δίκην ἰδίαν. μήτε διωκόντων, μήτε φευγόντων· μήτε περὶ ὧν ἐπίτροποι, ἢ κυράτορες εἶεν κρινέτωσαν· ἐπειδὰν δε ἐξήκῃ ἡ ἀρχὴ, καὶ αὐτοῖς πρὸς τὺς φεύγοντας, καὶ τοις φεύγυσι πρὸς αὐτὺς, εἰσαγωγίμυς εἶναι τὰς δίκας, quibus in exponendis etiam fallitur Otto, qui *lata significatione* de Municipalibus Duoviris ibi scriptum autumat, & de Haloandro queritur, qui Ἄρχοντας, *Prætores* interpretatur: contrariam his sane sententiam tenuit Antonius Augustinus (*68*), qui de omnibus Provinciarum Magistratibus Ἄρχοντος vocem intelligi posse scribit. At quæso, mi Augustine, cur nec etiam de Urbanis magistratibus Hadrianum locutum scripsisti? latuerat tibi forte Suidæ locus, ex quo Ἄρχοντος nomen appellativum esse ἀναμφιδόξως evincimur (*69*). Ἄρχων. ἄρχοντες, οἱ ἐννέα τινὲς. θεσμοθέται ἕξ. ἄρχων,

βα-

βασιλεὺς. πολέμαρχος. καὶ πρὸς μὲν τῶν Σόλωνος νόμων, οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς ἅμα δικάζειν. ἀλλ᾽ ὁ μὲν βασιλεὺς, καθῆστο παρὰ τῷ καλουμένῳ βουκολείῳ. τὸ δὲ, ἦν πλησίον τοῦ πρυτανείου. ὁ δὲ πολέμαρχος ἐν Λυκείῳ. καὶ ὁ ἄρχων, παρὰ τοὺς ἐπωνύμους. οἱ θεσμοθέται, παρὰ τὸ θεσμοθέσιον, κύριοί τε ἦσαν ὥς τε τὰς δίκας αὐτοτελεῖς ποιεῖσθαι. ὕστερον γὰρ Σόλων αὐτοῖς νομοθετήσαντος, οὐδὲν ἕτερον αὐτοῖς ἐπελεῖτο, ἢ μόνον ὑποκρίνειν τοὺς ἀντιδίκους. Vide igitur quam temere fcripferint Gentilis, & Otto, quorum ultimus nimis infcite Neapolitanos Duoviros fuos Archontas appellaffe fubdit, qua de re confule omnino, quæ fcripfit ἀξιολογώτατος vir ille Græcarum litterarum, & Neapolitanæ Reipublicæ fuæ benemerentiffimus Jacobus Martorellius in aureo opere de Regia Theca Calamaria, quod brevi lucem videbit (70).

DEC. QVINQ. Occurrit demum DEC. QVINQ. quod *Decurionem Quinquennalem* legimus. Scimus equidem in prifcis lapidibus raro Decemviros per DEC. fcriptos inveniri, fed XVIR, quo factum eft, ut Decurionem potius, quam Decemvirum ibi fcriptum putarem. At quis mihi dicet Decurionis munus ad ftatum tempus effe? cum fi Ciceronis, πανδεκτῶν τε libros volvas, Decurionum munus, quum Senatorio omnino fimile fuiffet, perpetuum extitiffe videbis, ita ut femel adquifitum cum vita fimul finiret; ideoque *Decemvir* ibi notatum fuiffe, parum aberat, quin crederem. Adeo Reinefium, cui fimile epigramma mentem adeo torquet, ut corruptum, vel parum accurate trafcriptum putet (71). Tunc mihi in mentem venit Quinquennale munus in Coloniis etiam celebre fuiffe, adeo ut illud fæpius inierit Hadrianus Imperator (72) " Apud Neapolim De-

„ mar-

„ marchus, in Patria sua Quinquennalis, quasi „ in alia Patria “. Hadriæ quidem Quinquennalicius Magistratus ceteris præerat; at quem Venusia obtinuisset locum divinare mihi sane non est. Clare tamen apparet, non scriptum Decurionem Quinquennalem, quod nempe quinquennio Decurionatus munus duraret, at Decurionem, qui quinquannalitatem obtinuerat. DEC. etiam *decaprotum*, sive *decemprimum* denotare posset (73). At quis tam ineptus erit, ut non sciat decaproti munus nec etiam quinquennale fuisse (74).

At posset sane legi DECurio QVINQueprimus, de iis enim loquitur Cicero in Verrem „ (75) qua de re Agyrinenses Magistratus, & „ quinque-primi, quos tu, tuique quæstus causa „ evocasti, acta, & imperia tua domum ad Se- „ natum suum renuntiaverunt “. At quinqueprimos in antiquis lapidibus nunquam per QVINQ. scriptos videbis, sed tota voce producta.

Inscite nimis Otto putat Decemprimos, qui *principales* sæpe etiam dicuntur, eosdem fuisse, ac Decuriones, cum Decurionum quidem primores ipsi fuerint, & stati sane numeri. Mea igitur sententia est Decurionem Quinquennalem Ennium fuisse, quem inter primores Magistratus adcensendum sane existimo, Apuleii potissimum verbis illectus (76). “ Thyasus gradatim permensis „ honoribus, Quinquennali Magistratu fuerat de- „ stinatus, & ut splendori capessendorum respon- „ deret fascium, munus gladiatorum triduanis „ spectaculis pollicitus, latius magnificentiam „ suam protendebat “. Puto equidem eodem functos munere in Coloniis Decuriones Quinquen-

M na-

nales fuisse, ac Romæ Decemviros stlitibus judicandis. Nec enim dissentit Duoviros juridicundo fuisse, & insuper Quinquennales. Romæ enim erant Praetores, erant etiam Decemviri, quorum numerum quantum Imperatores adauxerint, non est ut dicam.

Ennium autem Maximum, quem Ædilitatem ex nostro lapide egisse apparet, Ennii Bassi fratrem putamus. Ceterum Enniorum aliud Venusiæ superest monumentum Basso etiam forte positum, *Juridicundo* enim *IX.* notatum cernimus, & Quinquennalitatem insuper adjectam. piget scire integram effossam ἐπιγραφὴν fuisse, & maximam ex eo partem Venusinos fabros excidisse, ut extruendo ædificio accomodarent (77).

...... IX. DEC. QVINQ.
.... VS. P. F. MAXIMVS ENNIA P. F.
.... MAXIMA SIBI ET VOLTIAE
.... C. F. SE. ..... ATRI. P. C.

Duoviros vero Venusiæ Ædiles fuisse, præterquam quod abunde Ennii monumentum ostendit, clarius tamen evincitur ex altero Catiniano Maximo, Claudiæ Tribulis, monumento posito a Lucio Paccio Prisco, Lucii Filio, qui Ædilitatem gesserat, & Quæsturam, cui additam munerum curationem vides. qua in re a Romanis Quæstoribus Venusinos dissimiles cernis: Romæ enim munera curarunt primo Reges, deinde Consules, postremo Ædiles, ac demum imperii summa in unum collata, Imperatores. Ad Ædilitatem vero ut redeam, ait Festus (78): " Ædilis initio dictus
„ est

„ est Magistratus, qui ædium non tantum sacra-
„ rum, sed etiam privatarum curam gerebat.
„ Postea hoc nomen ad Magistratus translatum
„ est. Dictus est autem Ædilis, quod facile ad
„ eum plebi aditus esset". Ex quibus verbis judicandi potestatem Ædilibus Romæ datam patet. Ædilibus vero diversum Venusiæ jus fuit, vias enim sternendi iis curæ fuerunt, quibus cetera hujus rei munera addita existimo. (79).

L. PACCIVS L. F.
PRISCVS AID IIVIR. Q̄.
CVR. MVNER. CATINIAN..
CL. MAXIMO.

Cum igitur Paccio Quæstori munerum curatio fuit, vides quam nimis audacter, ex eo quod Romæ munera curarunt Ædiles, putaverit, ac scripserit Otto, Ædilibus etiam in Coloniis publica munera curæ fuisse.

Insequens marmor num Venusinis Ædilibus tribuendum, vel Romanis, diu dubium me tenuit, at cum verba postremæ lineæ perpendissem, Venusinis omnino addicendum sum ratus (80).

C. FLAMINIUS
GALLUS. AED
VIAM. ET · CREPIDN
OB. HONOREM. STR.
EX. D. M. PO.

Cajus Flaminius Gallus Aedilis viam, & crepidines ob honorem stravit. Ex decreto monumentum po-

posuit. Si Flaminius Romæ Ædilis fuisset, in extrema linea *ex sententia Senatus*, non *ex decreto* notatum fuisse oporteret: admirationem tamen præbet Ædilem sine duumviratus nota scriptum videre, cum in omnibus Venusiæ monumentis adjecta semper inspicitur. Omnia hæc tamen accuratius ponderabimus, ἐπιγραφῆς τε sententiam aperiemus, cum de Appia via nobis inciderit sermo. Alterum interea vide, lapidis fragmentum a quodam Ædile Kæsoni Battio forte positi (81).

K. BATTIO . SE. ....
.... OR . ĪĪVIR. AED. P.

At duoviratus, quod summum diximus fuisse munus, tria supersunt Venusiæ monumenta, quorum prius Cajum forte, Nonium Publii filium, & L. Glitum Duoviros Decurionum sententia murum (Urbis puta) reficiundum curasse testatur (82):

.... NONIVS . P. F. L. GLITVS
ĪĪVIR D. D. S. MVRVM.
R. C.

Duumviratus honor ceteris Magistratibus præstasse Vulpianus est testis (83). " Decuriones in albo ,, ita scriptos esse oportet, ut lege municipali ,, præcipitur: sed si lex cessat, tunc dignitates ,, erunt spectandæ, ut scribantur eo ordine, quo ,, quisque eorum maximo honore in municipio ,, functus est, puta, qui Duumviratum gesserunt, ,, si hic honor præcellat, & inter Duumvirales

,, an-

„ antiquiſſimus quiſque prior is: deinde hi qui „ ſecundum poſt Duumviratum honore in Repu„ blica functi ſunt: poſt eos, qui tertio, & dein„ ceps “. Conſules, ſunt qui putant, eos dictos fuiſſe, Vulpiani potiſſimum loco inducti (84). „ Cum quidam legationis cauſa abſens, filium „ hæredem inſtitutum non potuiſſe jubere adire, „ in provincia agentem; Divus Pius reſcripſit „ Conſulibus ſubvenire ei oportere mortuo filio, „ eo quod Reipublicæ cauſa aberat “. Nullam Divus Pius expeditionem obiit, ita ut, cum Roma abeſſet, Conſulibus reſcribere potuerit (85), ac inde de Duoviris cujuſdam Coloniæ, vel Civitatis alterius dictum ibi quidam putant, qua ratione Hotomannus *Conſulentibus* pro Conſulibus ibi legendum cenſet [86]. Scipio vero Gentilis qui Duoviros, Conſules etiam dictos tenet, vocem *Conſulibus* retinendam cenſet. Attamen utrumque erraſſe mihi eſt ſententia, licet enim Antoninus nullas peregiſſet expeditiones, raro tamen Romæ moratus eſt. Julii Capitolini ſunt verba. “ Species Imperatorias ſuperfluas, & prædia vendi„ dit: & in ſuis propriis fundis vixit varie, ac „ pro temporibus: nec ullas expeditiones obiit, „ niſi quod ad Agros ſuos profectus eſt ad Cam„ paniam, dicens gravem eſſe provincialibus co„ mitatum principis etiam nimis parci “. Cum igitur ſæpe ipſe Roma abeſſet. Romani Conſules, dum ipſe in Campania forte degeret, eum conſuluere, ipſeque eis reſcripſit. Reliqua Latinorum ſcriptorum, loca quibus Duoviri Conſules dicti probantur, cum ab aliis Eruditis enixe refellantur, libenter ego miſſa facio (87). At

equi-

equidem irascor Everardo, qui veterem hanc opinionem jam usque ab summis excogitatam viris, novis (ut ipse loquitur) argumentis firmare conatur. & primum Campanos Duoviros, Consules a Tullio (88) dictos ostendit ex his verbis. „ Seplasia mehercle, ut dici audiebam, te „ ut primum adspexit, Campanum Consulem re„ pudiavit „. cuperem sane, ut paullo attentius Otto Ciceronis perlegisset verba, quæ quidem oratoris sunt, non vero historici: earum sententiam tamen, ut aperiam admonendum duco: cum Cæsar Capuam Coloniam deduxisset, Duoviros primum creavit Pisonem, de quo Ciceroni sermo est, & Gn. Pompeum Magnum: Piso horribilem subhorridumque aspectum, hirsutas comas, prolixamque affectabat barbam; hinc Tullius ait, Seplasiarios cum eum viderunt, *repudiasse*; in comparandis enim unguentis Piso nihil impenderet. At Tullius idem aperte Pisonem Duumviratum Capuæ gessisse testatur his verbis (89), " vesti„ tus aspere nostra hac purpura plebeja, ac pene „ fusca, capillo ita horrido, ut Capuæ, in qua „ ipse tum imaginis formandæ causa, Duumvira„ tum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur „. Et quidem Campanorum Civitas, dum libertate fungebatur, nec Duoviros, nec Consules sane habuit, at unicum summum habuit Magistratum, qui Mediastuticus, dictus est (90), sive Meddixtuticus, uti Festus tradit. Libertate vero amissa, & in Præfecturæ conditionem redacta, nec Mediastutici, nec Duoviri ad Campanam accesserunt Rempublicam. Cum demum autem Colonia deducta est a M. Bruto, Duoviros ab ipso institutos, Præto-

tores Campani vocarunt, annum Coloniæ deductæ a suis Prætoribus demonstrantes; audi ipsum Tullium in Campanos loquentem. (91) ,, Et quoniam ,, Bruti, atque illius temporis feci mentionem, ,, commemorabo id, quod egomet vidi, cum ,, venissem Capuam, Coloniam deductam L. Considio, & Sexto Saltio, quemadmodum ipsi lo- ,, quebantur, Prætoribus: ut intelligatis, quan- ,, tam locus ipse afferat superbiam; quæ paucis ,, diebus, quibus illo Colonia deducta fuit, per- ,, spici, atque intelligi potuit. Nam primum id ,, quod dixi, cum ceteris in Coloniis Duumviri ,, appellentur, hi se Prætores appallari volebant ,, verum a Romanis jussi sunt, summos eorum Magistratus Duoviros appellare: testantur omnes Campani prisci lapides, & Tullius ipse, cum Duoviros summos Campanorum Magistratus sæpe sæpius nominat. Ecquis erit in Romanis rebus tam novus, qui Capua Consulem alterum a Romanis postulasse ignoret? hinc est hac in re vigiles magis oportuisse Romanos esse, ne Campanorum indulgerent superbiæ. De Campanorum arrogantia, cum Duumviros a Romanis constitutos, Prætores appellarunt, audi quid Tullius ad Populum Romanum dixerit. (92) ,, Nam primum id quod di- ,, xi, cum ceteris in Coloniis Duumviri appel- ,, lentur, hi se Prætores appellari volebant. qui- ,, bus primus annus hanc cupiditatem attulisset, ,, nonne arbitramini paucis annis fuisse CONSU- ,, LUM nomen appetituros? Deinde anteibant licto- ,, res, non cum bacillis, sed, ut hic Prætoribus an- ,, teeunt, cun fascibus duobus. erant hostiæ majores ,, in foro constitutæ, quæ ab his Prætoribus de tri-

,, bu-

„ bunali, ſicut a bonis Conſulibus de conſilii ſen-
„ tentia probatis, ad præconem, & ad tibicinem
„ immolabantur. Jam vero vultum Conſidii vi-
„ dere, ferendum vix erat: quem hominem, ut
„ grandi macie torridum, Romæ contemptum,
„ abjectum videbamus, hunc Capuæ Campano
„ ſupercilio, ac regio ſpiritu cum videremus,
„ Magios, Bloſſios mihi videbar illos videre,
„ ac Jubellios. Jam vero qui metus erat tunica-
„ torum illorum! & in Albana, & Seplaſia quæ
„ concurſatio percontantium quid prætor edixiſſet?
„ ubi cœnaret? quid enuntiaſſet? „ vides nunc ſi Campanos, eorum Duoviros Conſules vocare, pati poterant Romani! Verum his prætermiſſis Tullius idem in Piſonem ait, ſi Campani Seplaſiarii Gabinium vidiſſent, qui comptis capillis, & madentibus cincinnorum fimbriis, & fluentibus, ceruſſatiſque buccis incedebat, *ſtatim eorum duumvirum agnoviſſent* (93): igitur Duumvir ſummus Capuæ Magiſtratus vocabatur, non vero Conſul; & ita tenenda ſunt Tullii verba, quoties Piſonem Campanum vocat Conſulem: ceterum dici etiam poterit, ideo Tullium Conſulem Piſonem vocaſſe, quod nempe poſt Duumviratum Capuæ adeptum, Conſul Romæ factus ſit.

Ottonis columen alter eſt Plinius, qui libro ſeptimo ait „. (94) Eſt & L. Fulvius inter inſignia
„ exempla, Tuſculanorum rebellantium Conſul:
„ eodemque honore cum tranſiſſet, exornatus
„ confeſtim a Populo Romano: qui ſolus eodem
„ anno, quo fuerat hoſtis, Romæ triumphavit
„ ex iis, quorum Conſul fuerat „. Acta quidem res eſſet, ſi Plinii hic locus ſtaret: verum quam
fœde

fœde corruptus nobis hic provenit, non est ut dicam; & primum L. Fulvius Romæ Consul fuit anno CDXXXII, (ut Livii sequamur rationem) cum de Tusculanis jam actum esset: deinde cum Tusculanis præcedenti anno nunquam prælium fuit, ut victi in triumphum deduci possent: Livius enim ait (95), M. Flavium Tr. plebis tulisse ad Populum, ut in Tusculanos animadverteretur, quorum ope ac consilio Veliterni, Privernatesque populo Romano bellum fecissent. Populus Tusculanus cum conjugibus, ac liberis Romam venit: ea multitudo, veste mutata, & specie reorum, tribules omnes circuit, genibus se omnium advolvens: plus itaque misericordia ad pœnæ veniam impetrandam, quam causa ad crimen purgandum valuit. Tribules omnes præter Polliam antiquarunt legem. Polliæ sententia fuit, puberes verberatos necari: conjuges, liberosque sub corona, lege belli, venire, memoriamque ejus iræ Tusculanis in pœnæ tam atrocis auctores mansisse ad patrum ætatem, dum Livius historias scripsit, constabat; nec quemquam ferme ex Pollia tribu candidatum Papiriam ferre solitum. Hoc actum C. Sulpicio, Q. Aimilio Coss., anno scilicet Urbis CDXXXI, ante quam Cos. creatus L. Fulvius esset: quonam igitur pacto de Tusculanis Fulvius triumphum egit? Ac demum dum Fulvius Cos. esset, bellum cum Samnitibus fuit, in quos Cor. Arvina dictator processit, ut tradit Livius, qui sententiam respuit putantium hoc anno a Coss. bellatum fuisse (96). Ceterum si Coss. hoc anno in Apuliam, & in Samnium profecti sunt, uti Capitolinæ perhibent tabulæ, de Apulis, Samnitibusque solum triumphatum ex iis accipimus, non vero de Tusculanis.

nis. Vide igitur, quot falſitates contineant, quæ Plinio meo tribuuntur verba: earum, nec unam ſaltem adverſus eſt Otto, qui neſcio in quem confugiet, ut Duumviros ſuos Conſules appellatos etiam fuiſſe oſtendat, cum Ciceronis, & Plinii deficient teſtimonia.

Ceterum Duumviros, ut reliquos etiam Coloniarum Magiſtratus toga prætexta uſos, & cum ea cremari fuiſſe ſolitos apud Livium (97) L. Valerius Tribunus Plebis de abroganda lege Oppia adverſus M. Porcium dicens, fatetur: " Purpura viri utemur, prætextati in Ma-
,, giſtratibus, in Sacerdotiis liberi noſtri præ-
,, textis purpura togis utentur: Municipiiſque, hic
,, Romæ infimo genere Magiſtris vicorum, togæ
,, prætextæ habendæ jus permittemus, nec id,
,, ut vivi ſolum habeant tantum inſigne, ſed
,, etiam, ut cum eo crementur mortui: fœminis
,, dumtaxat purpuræ uſum interdicemus? ". Miror equidem cur Otto (98) dixerit. ,, At tene-
,, bras nobis hic offundit Juvenalis, ubi Umbri-
,, tium Aruſpicem inducit, de Italiæ oppidis di-
,, centem Sat. III. v. 177.

Æqualis habitus illic, ſimilemque videbis
Orcheſtram, & populum, & clari velamen honoris
Sufficiunt tunicæ ſummis Ædilibus albæ.

,, Ecce! idem omnibus geſtamen tribuit; non to-
,, gam, multo minus prætextam, ſed tunicam,
,, habitum viliſſimum, & ſervilem, honoris Æ-
,, dilitii velamen appellat. Vir ſummus Marcus
,, Velſerus lib. V. Rer. Aug. Vind. pag. 270.
,, exiſtimabat poëtam tunicas generatim dixiſſe

,, pro

„ pro veſte. Ferrarius tunicas Ædilium albas in-
„ terpetratur candidas & recenter lotas, lib. III.
„ de re veſt. cap. 10. & lib. II. Elect. cap. 9.
„ Sed non expediunt me ab hoc nodo: æqua-
„ lem enim habitum in municipiis facit Juvena-
„ lis, & vix eſt, ut cretata ambitio hiantes du-
„ xerit municipales, nec de alia veſte, quam de
„ tunica erat ſermo „. Verum bona tua venia, mi Otto, obſcurus tam tibi Juvenalis videtur, ut trium paginarum commentario indigeas, ut ejus ſenſum aperias: hercle non oportebat tot Latinos ſcriptores adire, ut Juvenalis veram cognoſceres ſententiam: ego paucis te expediam, & diffundentur, quas tibi effundit Juvenalis tenebras, integrum lege Juvenalis locum Sat. III. v. 171.

Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in quo
Nemo togam ſumit, niſi mortuus: ipſa dierum
Feſtorum herboſo colitur ſi quando theatro
Majeſtas, tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, cum perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans:
Æquales habitus illic, ſimileſque videbis
Orcheſtram, & Populum: clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ ſummis Ædilibus Albæ.
Heic ultra vires habitus nitor: heic aliquid plus
Quam ſatis eſt: interdum aliena ſumitur arca.

Evidens quidem eſt Poëtam de corruptis Romanorum moribus hic loqui, qui ſæpius aliena utebantur arca, ut trium ulnarum toga per Urbis vias incederent: eoſque ſane objurgans, Municipales Ædiles exemplum proponit, qui licet prætextæ jus haberent, tamen antiqua ſimplicitate vitam agentes, in theatris etiam, in quibus ma-

xima incedere oportuerat pompa, ſimplici alba tunica ipſi utebantur: ſi perpendas tamen Iuvenalis priora verba, videbis profecto univerſam Italiæ gentem feſtis diebus toga amictam, colere ſolitam fuiſſe herboſum theatrum, in quo Ædiles ſæpe etiam ſimplici tunica geſtabantur, honorem haud quaquam putantes in veſtibus ſiſtere. Ceterum Ulubris Ædilem (*99*) pannoſum alibi vocat, quoniam prætexta utebatur nimis craſſa, neque enim ſumptum ferre poterant, quod in eleganti, ac pretioſiſſima purpurata veſte comparanda oportebat. Faſces etiam habuiſſe ſunt qui putant: at Reipublicæ Romanæ tempore hoc accidiſſe nemo ſit, qui dicere audeat. Tunc enim binos lixas habuere cum bacillis, teſte Cicerone in Agraria, & in Epiſtolis ad Atticum. Apulei etiam vide de hac re verba (100) ". Et lixas, & virgas, „ & habitum prorſus Magiſtratui convenientem „ in te video ". Omnes fere rerum harum ſcriptores, lictores Municipales Magiſtratus habuiſſe credunt, contraria mihi tamen eſt ſententia, puto enim tum demum lictores, ut etiam & faſces adeptos, cum Imperatores Romanæ Republicæ imperium obtinuerunt. Cetera ad Duoviros pertinentia, vide apud Pancirolum, & Chimentellium: cave tamen ne in Panciroli abeas ſententiam, idem ſummos Duoviros fuiſſe, ac Duoviros juridicundo putans, qua in re reliqui etiam falluntur. Nec hac tantum in re labuntur clariſſimi viri, ſed cum in adſignandis ſingulis Magiſtratibus, muneribus, notitias ex Juſtinianeo, ac Theodoſiano Codice exquirunt, in maximos errores lapſos puto. Aliud enim jus erat Municipa-

cipalibus Magiſtratibus, dum libertas in Romana Republica vigebat, aliud dum ipſam Imperatores obtinuere. Auguſtus enim primus omnium (101) eorum jura immutavit. Nec opus eſt, ut dicam quantam paſſi fuerint mutationem Romanorum Imperio declinante. Unum tantum proferre ſufficiat. Exiſtente adhuc Romana Republica (102), aliquando Romani Senatores in Coloniis Duumviratus munus obibant: Piſo enim (103) & Pompeius duumviratum Capuæ geſſere: adjungebatur enim muneri illo ſummus honor, parumque incomodi. Cum vero procedentibus temporibus, rerum hic ordo immutatus eſſet, ita defecerant, qui Decurionatum adirent, ut Theodoſius Junior (104) ne ſingulis locis deeſſent, legitimos fecit, qui nothi, illegitimique nati forent, dummodo oblati Curiæ eſſent, ipſæque inſervirent: Curiales enim ſunt iidem ac Decuriones, qui Honorati, & Poſſeſſores ſæpe vocantur.

Sequitur aliud fragmentum, ex quo Q. Rajum Stafejum, & quemdam Broccum opus quoddam publicum curaſſe, cernere eſt (105).

Q. RAIVS . STAFE .....
BROCCVS II. VIR .....
DD. S.

Aliud denique Venuſinum monumentum habet Muratorius in Inſcriptionum Theſauro (106), L. Modio Septimiano Tiburtino à Gn. Aurelia Maximâ uxore poſitum; in quo cernere eſt IIVIR VENVSIA ſcriptum: ipſe enim Modius cum eſſet Tiburtinus, ideo ut Venuſia duumviratum egiſſe lapis demonſtraret,

ret, necesse fuit VENVS. apponi; aliter enim Venusiæ nomen superfluum esset. In hoc vero lapide Præfectum juridicundo Venusia vides, quod ita factum puto. Sæpe ob Candidatorum nimiam frequentiam ingentes oriebantur inter Decuriones dissidiæ in Magistratibus creandis, ideo ne publice deficerent Magistratus, Præfectos cuique rei creari solitos: abunde hoc Pisana Coenotaphia ostendunt, quæ adi. (107). Eam igitur ob causam Modium juridicundo Præfectum factum existimo. Is etiam (Venusiæ etiam forte) Quæstor fuit, ac demum Fabrum Præfectum, quo munere Decuriones sæpe functos apud Gruterum frequenter cernere est: fabrorum puta, Tigniariorum, Pictorum, Instructorum, Ferrariorum, Carpentariorum, reliquarumque rerum, quæ exercitui necessaria forent, sive bellica tormenta, sive hyberna ædificia, sive etiam arma sint. Horum omnium judex, Fabrorum vocabatur Præfectus (108).

L. MODIO L. F.
SEPTIMIANO TIB.
IIVIR. VENVS. PRAEF.
I. D. QVAESTORI ET
PRAEF. FABRVM
CN. AVRELIA MAXIMA
VXOR PIENTIS. FECIT
VIX. ANN. LII. M. I. D. XII.

Duumviratus vero juridicundi præclarum Muttieni, & Vibii monumentum superest, qui decreto Decurionum statuas reficiundas curavere (109):

M.

M. MVTTIENVS
L. F. C. VIBIVS L. F.
IIVIR. I. D.
STATVAS EX DD.
REFICIVNDAS
C.

Statuas intellige publica auctoritate positas, vel de republica benemerentibus viris, vel viris Principibus, vel Coloniæ Patronis: Deorum enim statuas reficiendi cura, uti Romæ Ædilibus, incumbebat, ita etiam Venusiæ fuisse putamus. Mirum sane hic est Duoviros juridicundo etiam publica opera curasse; vides hinc igitur, quam difficile sit rationi hæc tam incerta accomodare.

Extat postremo Venusinæ Urbis magnificentiæ præclarum exemplar in vetusto lapide palmaribus litteris scripto, cui ex aere litteras incrustatas fuisse evidenter apparet (110)

M. MVTTIENVS L. F.
C. VIBIVS L. F.
M. MESSIVS T. F.
M. CAMILLIVS L. F.
OB HONOREM.

Nescio cur nimis inepte Pratillus *Decurionatus* (111) addat, cum marmor quaque ex parte finitum ego ipse inspexerim, potissimum in ima parte, cui tres ferme pedes nudi lapidis supersunt. Non intellexerat forte, quid *ob Honorem* absolute positum indicaret. Ego paucis rem expediam, Reipublicæque Venusinæ finem imponam. " Honor

,,mu-

„ municipalis [ait Calliſtrus libro primo de co-
„ gnitionibus] eſt adminiſtratio Reipublicæ cum
„ dignitatis gradu : " hinc Paulus (112) : " Qui
„ pro honore pecuniam promiſit, ſi ſolvere eam
„ cepit, totum præſtare operis inchoati exemplo
„ cogendus eſt ; " & infinita propemodum invenies exempla ſi Pandectarum Titulum de muneribus, & honoribus percurras ; quem morem etiam Baſilicorum ſcriptores ſervarunt, ipſi enim τιμὴν municipalem quemque magiſtratum vocant, Titulumque de Muneribus, & honoribus περὶ τιμῶν πολιτικῶν inſcribunt: (113) Ἀπὸ τῶν τιμῶν εἰς τὰς αὐτὰς τιμὰς πενταετίας δίδοται ἀλειτουργησία. τριετίας δὲ εἰς τὰς ἄλλας, τοὺς δὲ πρεσβεύουσι, διετίας ἀλειτουργησία παρέχεται. τοὺς μείζονας τιμὰς πράξαντας, οὐ χρὴ εἰς ἐλάττονας ἕλκεσθαι δοκοῦσι γὰρ ὑβρίζεσθαι. Aliter tamen noſtro in marmore ſe res habet, nec enim Quatuorviros Venuſiæ adhuc uſque invenio, immo contra Duoviros ſemper. Quid igitur hic erit *ob honorem ?* Nodum Paulus libro regularum ſolvit (114) : " Ci-
„ vitatibus legari poteſt, etiam quod ad HO-
„ NOREM, ornatumque Civitatis pertinet. Ad
„ ornatum, puta quod ad inſtruendum forum,
„ theatrum, ſtadium legatum fuerit : ad HONO-
„ REM puta, quod ad munus edendum, vena-
„ tionemve, ludos ſcenicos, ludos circenſes reli-
„ ctum fuerit, aut quod ad diviſionem ſingulo-
„ rum Civium, vel Epulum relictum fuerit,
„ ad HONOREM Civitatis pertinere reſponde-
„ tur ". Et quidem ideo monumentum hi quatuorviri ponunt, quod unam ex hiſce rebus egerint. Quid enim quæſo ſignificaret *ob honorem* decurionatus ? ipſi forte quia decurionatum adepti ſunt, memoriam ponunt ? hoc quidem nil ineptius

tius excogitari poteſt: at bene ob munus editum ipſi monumentum ponunt.

Addam poſtremo Titulei Feſtivi Quinquennalis monumentum, ex quo Epulones Venuſiæ extitiſſe conjectare eſt. Cum vero nimis ob temporis injuriam conſumptus ſit lapis, ideo veram illius ſententiam difficile erit conſequi (115).

D. M.
..... TITVLEI FESTIVI QQ. C...
L.... D.... P.... N....
PRO EP. CONVIPIVM. IV......
VEN. M. REOLI ....

Erant igitur primum Venuſiæ Pontifices quorum qui ſit numerus, non ſatis adhuc appa; ret. Erant inſuper Duoviri, per quos Conſules re. præſentatos cernimus; his addendi Duoviri juri dicundo, per quos Prætores ræpræſentatos diximus. Horum præter ſupradicta aliud Venuſiæ monumenti fragmentum extat, quaque ex parte ævo conſumptum (116):

.... CIVS L. F......
.... I. D. IIVIR. C....

Juridicundis additi Decuriones quinquennales; quibus forte Ædiles ſequebantur. At de Duoviris quinquennalibus plane quid dicam, neſcio.

Hæcque Venuſinorum Magiſtratuum extant memoriæ, quibus in exponendis, nimia brevitate uti conatus ſum, ne coctam recoquorem crambem. Totenim ſummi viri de Coloniarum Magiſtratibus

O ſcripſe-

ſcripſere, ut ea in re nihil plane intentatum nobis relinquerint. Novitatem tamen dant vetuſta Venuſina monumenta, quæ ſatis accurate nos tranſcribenda curavimus.

---

(1) *A. Gellius lib.* 16. *cap.* 13. *quod etiam ex diverſis Tullii locis manifeſtum eſt.* (2) *Pomponius ICtus lib. ſing. Echirid. vide Leg.* 239. *Dig. de verb. ſign.* (3) *Liv. lib.* 1. *cap.* 7. (4) *Dionyſ. Halic. lib.* 2. *pag.* 134. (5) *Extat in pariete Ædiculæ domus, in qua publice morbo laborantes hoſpitantur.* (6) *Carol. Sigon. de Jure Ital. lib.* 2. *cap.* 4. *ex Cic.* 2. *agrar.* (7) *Matthæi Ægyptii Cl. viri Diatriba de S. C. Bacchan. nuper eam adjecere in notis Livianis, quas diligentiſſimus Drakembork typis mandari curavit: extat Tomo VII., verum ipſe Ægyptius lapidum ſcripturam vitiavit, nam in priori* ἐπιγραφῇ, *prima linea, male RAVEIVM profert, cum Ravelum clare ſcriptum ipſi viſimus, immo ſpatium quod inter L atque O extat, vel altero L replendum, vel I quidem eſt: ſexta deinde linea* τὸ *CONSVLVERE neſcio equidem qua ratione COSOLVERE ſcribat. Altero vero lapide NATVS, pro NATV ponit, atque extremas literas ſecundæ lineæ F E legit, cum* τὸ *F clarum apparet D fuiſſe.* (8) *Prior lapis baſis formam exhibet ſuperiori parte præruptam: extat in exteriori pariete Ædiculæ Divi Nicolai* della Capuana. *Lapis alter in quadam domo* Capituli *adverſus portam Arcis poſitus eſt.* (9) *Leg.* 6. *Dig. de diviſ. rer. & qualit.* §. 3. (10) *Leg.* 9. *Dig. de diviſ. rer. &c.* (11) *Apud Feſtum libro* 17. (12) *Apud Ulpian. lib.* 68. *ad Edict., quod in leg.* 1. *Dig. ne quid in loco ſacro fiat, vide. Ceterum eodem ſane modo apud agrariæ rei ſcriptores confunduntur religioſa, ſacrave loca. Agen. Urb. de controv. agror. Amſtelæd.* 1674. *pag.* 73. *ait.* De locis ſacris, & religioſis. Controverſia eſt æque injectivi, agitur enim de locis. Sed cum, aut ſacra, aut religioſa nominentur, ſtatum generalem a jure ordinario accipiunt. (13) *Ulpian. Leg.* 2. *Dig. ne quid in loco publico, vel itinere* §. 17. (17) *Liv. lib.* 1. *Vide Sigon. de hac re.* (15) *Vide Pighium Annal. Apud Grut: extant Nolanorum Magiſtratuum*

tuum Fasti: & quidem compertum sane est Colonias, Municipia, ceterasque Italiæ Urbes annos ex suis Magistratibus demonstrasse. (16) *Ægyptius* SENATVD *profert, quod scilicet antiquo Latinorum more scriptum sit, at inter τὸ* SENATV, *ac τὸ* D *tres ferme pollices nudi lapidis interpositi sunt.* (17) *Diomedes lib.* 1. *cap.* 8. *Voss. lib.* 6. *de vitiis serm. & var. glossemat.* (18) *Gruter. Thesaur. Inscr. pag.* 198. 1. (19) *apud Gruter, qui etiam Coloniarum, Municipiorumque decreta Senatus-consulta dicta profert. Assisii in Umbria pag.* 167. *num.* 9. *Fundanorum ead. pag. num.* 11. *& num.* 12. *Spoletinorum. Fundatorum etiam exemplum videre est pag.* 168. 1. *& Spoletinorum alterum pag.* 194. *num.* 6., *quibus addere liceat Tiburtinorum pag.* 419. 5. (20) *Tacit. Annal.* 13. *cap.* 48., *quod cum ineptis aliquibus Typographis improprium esse videretur, tanquam spurium ejectum est.* (21) *Vide, quæ num.*19. *diximus* (22) *Novella* 38. *præfat. principio. Adde Ausonium Eidyll.* 10. 401. . . . . *quos curia summos* = *Municipum vidit proceres, propriumque Senatum. Leg.* 33. *Cod. de decur. & fil. eor.* (23) *Livius sexcentis in locis Romanum Senatum Curiam vocat: unicum mihi exemplum lib.* 22. *Cap.* 21. *nunc præsto est.* (24) *Hanc Ennii ἐπιγραφὴν primum nacti sumus ex schedis Cl. Ægyptii, quas nobis tradidit nobilissimus vir Joseph Antoninus de republica litteraria benemerentissimus, quum pluribus eruditissimis libris eam ditaverit. Cum vero ego Venusiæ essem, & eodem, quo Ægyptius designat, loco, lapidem invenissem ita, scriptam reperi.*

P. ENNIO. P F. HOR. BASSO AED. BIS. IIVIR....
II.. BIS IIVIR. QVINQ. PONT. Q. IV CVR. PEC. PUB.
. . . .
P. ENNIO. P. F. HOR. MAXIMO AED. II. V.

tertiam quam Ægyptius descripsit lineam nunquam in lapide fuisse, mihi tunc visum est, qui licet ævo consumtus sit, ceteras sane literas nimis claras adservat: fidem tamen Ægyptii minime coercendam duxi, qui in interposito spatio verba, quæ profert, forte tam clare in lapide novit, ut edenda existimarit. Ceterum ideo in Ægyptii verba jurandum duximus, quoniam ipsum ceterorum lapidum fidelem descriptorem novimus. Lapis nunc extat in domo Javaliscorum in Parœcia D. Nicolai, epistyliumque est portæ. (25) *Leg.* 1. *Dig. de albo*

 scrib.

scrib. Leg. 53. Cod. de dec. & fil. eor. Cetera vide apud Norisium de Cœnotaph. Pis. Pancirol. de Mag. mun. Ottonem, Chimentellium, cæterosque. (26) *Sveton. sive quisquis auctor sit lib. de claris Rhetorib. cap. 6.* (27) *Otto de Ædilib. Colon. cap. 3. §. 1. & 2., & frequenter in toto libro. Ex multis, quæ occurrunt reprehendenda in ejus libris, minus ferenda sunt, quæ Cap. 5. §. 3. scribit, cum Equestrem Romæ ordinem, decurionum in Coloniis ordini adsimilat.* (28) *Tacit. de morib. Germ. Cap. 9.* " *Deorum maxime Mercu-,, rium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis ,, litare fas habent. Herculem, & Martem concessis anima-,, libus placant: pars Suevorum, & Isi sacrificat* ". *Miror equidem quonam pacto Suevi Isidem coluerint, quum ipsi cum Ægyptis nullum habuissent commercium, ex quibus hoc Numen, factum, si vera sunt, quæ ex Diodoro accepimus.* (29) *Æl. Spart. in vita Hadriani profert, Hadrianum in singulis Italiæ civitatibus, per quas ipsi iter fuit, munera modo duumviratus, modo quinquennalitatis obiisse.* (30) *Otto cap. 13. de potestate & jurisd. Ædil.* (31) *Suidas in Lexic.* Astynomis mundicia urbis a stercore curæ fuit (32) *Plutarch. in præcept. polit.* In angustis viarum exitus stercoris projiciendi prohibitionem. τὸ ἐκϑολῆς *lege* ἐκβολῆς *ex* βάλλω. (33) *Dionys. Gothofred. in comment. ad Leg. 1. Dig. de via publica, & si quid in ea.* (34) *Otto cap. 9. §. 7. quo in Capite §. I. nescio, quæ indigna recitat. Ait primum, Leges, quæ ad Urbis munditiem, magnificentiam, & structuram, quæ ad vias urbis, ad Theatra &c. pertinent, atque in Digestis, & Codice continentur, ut in mores deducerentur, Ædilibus curæ fuisse, quo nihil ineptius dici potest; deinde hunc Atheniensium morem fuisse demonstrat: verum ego peterem ab Ottone, quæ leges Atheniensibus fuere? num leges quæ in pandectis continentur; ridiculum equidem esset hoc adfirmare. Ac demum municipia minora, ac majora profert, quæ nec Sigonio, neque nostrorum cuique cognita adhuc dum fuere: neque mihi innotescit, quid sibi Otto velit ex Leonis Isaurici temporibus. Ejusdem Capitis §. 2. Ædificia omnia, sive forum, sive statuas, sive Theatra, sive quidquid aliud Ædiles curasse scribit. Ego Reinesii, atque Gruteri quamplurimas* Ἐπιγραφὰς *tantum proferam, ex propemodum infinitis. Reines. Class. 2. 27. Abellanus duovir quinquennalis Piscinam ædificandam curat. Class. 2. 28. L. Terentius IIIIVIR. I. D. publica pecunia, ut sternerentur viæ ad Theatrum usque curat. Class. 2.86. Tergestæ IIIIVIRI R. P. C. murum & Turres extruunt.*

truunt. *Apud Grut.* 1025. *IIVIR. Tiburtinus opera publica curat*, *nec est quod Gruterianos lapides hic apponam*, *nam integri Gruteri libri trascribendi essent*. *Ecquis is erit*, *qui omnes Ottonis errores numerare valebit?* (35) *Papinianus vias* Urbis *habet scilicet Romæ*, *non* civitatum, *uti Otto exhibet*. (36) *ex Juvenale*, *& aliis monumentis*, *quæ ab Ottone adducuntur*. (37) *Otto cap.* 10. §. 6. (38) *Leg.* 17. *Dig. de compensationibus* (39). *Ulpianus lib.* 5. *ad Edictum*. " *In jus vocari non oportet*, *neque Consulem*, „ *neque Præfectum*, *neque Pretorem*, *neque Proconsulem*, „ *neque ceteros Magistratus*, *qui imperium habent*, *qui &* „ *coercere aliquem possunt*, *at jubere in carcerem duci*. „ *Sunt & aliæ leges in hanc sententiam*, *quas omnes videre est apud eos*, *qui Legem* 2. *Dig. de in jus vocando*, *commentati sunt*. (40) *Leg.* 3. *Dig. ad Legem. Jul. pecul. Peculatus pœna aquæ & ignis interdictionem*, *in quam hodie* „ *successit deportatio*, *continet*. *Porro qui in eum statum deducitur*, *sicut omnia pristina jura*, *ita & bona amittit*. *Leg.* „ 4. §. 3. „ *Lege Julia de residuis tenetur is*, *apud quem ex* „ *locatione*, *emptione ALIMENTARIA RATIONE*, *ex* „ *pecunia*, *quam accepit*, *aliave qua causa*, *pecunia publica* „ *resedit*. „ (41) *Leg.* 10. *Dig. de vacat. & excus. mun. & frequenter in Titulo sequenti*, *atque in Tit. de Mun. & Hon.* (42) *Otto cap.* 10. §. 2. *Cave ne Ædiles frumento præfuisse credas*, *quod eo loco probare conatur ex* §. 8. *Leg.* 13. *Dig. locati*, *conducti*: *cujus sunt verba*. „ *Si quis men-* „ *suras conduxerit*, *easque Magistratus frangi jusserit*, *si qui-* „ *dem iniquæ fuerunt*, *Sabinus distinguit*, *utrum scit condu-* „ *ctor*, *an non*: *si scit esse ex locato actionem*: *si minus*, „ *non*: *quod si æquæ sunt*, *ita demum eum teneri*, *si cul-* „ *pa ejus id fecit Ædilis*, *& ita Labeo*, *& Mela scri-* „ *bunt*. „ *Ex quibus verbis nil aliud apparet*, *quam Ædiles mensuras curasse*, *quod jam ex Persei Satyr.* 1, *& Juvenal. Satyr.* 10. *clarum esse*, *diximus*; *vide Duar.* 1. *disp.* 26. *in fin.*, *ubi de hac lege ipsi sermo fuit*, *qui nunquam frumentum Ædiles curasse*, *ex hac lege apparere scripsit*. (43) *Leg.* 18. §. 7. *Dig. de Mun. & Hon.* (44) *ead. Leg.* §. 2. (45) *Leg.* 14. *Dig. eod.* (46) *Everard. Otto. cap.* 10. §. 1 & 2. (47) *eod. cap.* 10. §. 7. (48) *Gruter. pag.* 489. *num.* 12. (49) *laudato cap.* 10. *Risum sane movet*, *cum initio dicat*: „ *& nisi me omnia fallunt*, „ *annonæ curam nostris tam perspicue vindicabo*, *ut non lac* „ *la-*

„ *lacti videatur similius*, *quam Ædilis municipalis Athe-*
„ *niensium Agoranomis* . „ *Equidem Everardum omnia fefellere* . (50) *Horat. Epod.* 2. *vers.* 67. (51) *Grut. pag.*478.9. *Inscriptio Exoniæ in Catalaunia* . (52) *cui addenda est lex* 18. *Cod. de Dec. & fil. eor. vide Pancirol. cap.* 8. (53) *Plin. lib.* 2. *Ep.* 1. (54) *Vide apud Pancirol.* (55) *Liv. lib.* 29. *cap.* 13. (56) *C. Plin. lib.* 10. *ep. ad* Trajan. 83. (57) *Rosin. Antiquit. Rom. lib.* 7. *cap.* 10. (58) *Plin. ep.* 83. *lib.* 10. „ *C. PLINIVS TRAIA-*
„ *NO IMP. S. Cautum est*, *Domine*, *Pompeja lege*, *quæ*
„ *Bithynis data est*, *ne quis capiat Magistratum* , *neve sit*
„ *in Senatu minor annorum triginta*, *eadem lege comprehen-*
„ *sum est*, *ut qui ceperint Magistratum*, *sint in Senatu* .
„ *Sequutum est dein edictum D. Augusti*, *quo permisit mi-*
„ *nores Magistratus ab annis duobus*, *& viginti capere* .
„ *Quæritur ergo an qui minor triginta annorum gessit Ma-*
„ *gistratus*, *possit a Censoribus in Senatum legi*, *& si potest*,
„ *an ex iis quoque*, *qui non gesserint*, *possit quis per eandem*
„ *interpretationem ab ea ætate senator legi*, *a qua illis Magi-*
„ *stratum gerere permissum est : quod alioqui factitatum adhuc*,
„ *& esse necessarium dicitur* , *quia sit aliquanto melius*, *ho-*
„ *nestorum hominum liberos*, *quam e Plebe in curiam admit-*
„ *ti* . *Ego a destinatis Censoribus quid sentirem interrogatus* ,
„ *eos quidem qui minores triginta annis gessissent Magistra-*
„ *tum*, *putabam posse in Senatum* , *& secundum edictum*
„ *Augusti* , *& secundum legem Pompejam*, *legi*. *&c. c.* „
(59) *Tull. agrar.* 2. *ad Populum cap.* 35. (60) *Vide Dionys. Halic. lib.* 1. *&* 2. *Liv. lib.* 10. *cap.* 3. 6. 9. *Florum Epit.* 89. (61) *Extat in domo* del Baliaggio *ad majorem portam* (62) . *Extat in fenestra ejusdem domus* (63). *Extat in pariete domus Episcopalis* (64) . *Geilius Noct. Attic. lib.* 10. *cap.* 3. (65) *Otto cap.* 9. §. 4. (66) *Scimus equidem infirmum hoc esse argumentum*, *at ineptum omnino erit Quæstores Ædilium adjutores putare* (67). *Vertit Gothofredus leg.* 48. *de judiciis*. Magistratus quo anno cum imperio sunt , neque propriam , neque eorum , quorum tutelam , vel curam gerunt , causam in judicio vel agendo vel defendendo, sustinento. Simulac vero Magistratus dies exierit, non ipsis tantum adversus reos suos , sed etiam aliis adversus ipsos litem intentare jus, fasque esto (68) . *Ant. August. in lib. de jurisdict. Vide Alciat. lib.* 4. *dispunct. cap.* 6. (69) *Suidas Lex*. Archon. Ar-
chon-

chontes novem fuere. Judices sex. ex iis Archontes, qui dicebatur Rex: alter qui Imperator erat: ex legibus Solonis non erat ipsis simul potestas judicandi. Sed Basileus (*Rex. sc.*) præerat in Bucolæo, quod Prytanæo proximum erat. Imperator (*sc. Belli Dux*) præerat in Lycæo. Archontibus ex ipsa re nomen fuit. Judices dicti sunt, quod judicandi potestas penes ipsos esset, erat tunc ipsis potestas, pœnas ad libitum imponere. Postea vero legibus ferente Solone (*lege* Σόλων@) nil aliud ipsis relictum, quam potestas inter litigantes judicandi. (70) *pag.* 635. (71) *Reines. Inscript. Thes. Class.* 1. *num.* 99. *& alibi etiam, quod ex indice ipsius Reinesii rescire potes.* (72) *Æl. Spartian. in vita Hadriani cap.* 19. (73) *decem-primi erant decurionum Seniores, qui ætate, & prudentia, cum omnibus præstarent, ideo delecti erant, ut essent tanquam principes Senatus, Leg.* 1. *Dig. de Mun. & Hon.* §. 1. *Leg.* 3. §. 10. *Dig. eod. Leg.* 18. §. 26. *Dig. eod. Leg.* 8. *Cod. de Muner. Patr. Leg. unic. Cod. si curialis relicta Civitate. Leg. fin.* §. *mixta, Dig. de Mun. & Hon. Leg.* 7. 8. 9. *Cod. Theod. de Domestic. & Protect. Cicero pro Roscio cap.* 9. (74) *Tullius in epistolis commemorat de decemprimis. Vide Bulengerum, Chimentellium, sed potissimum Gothofredum ad Cod. Theod.* (75) *Tullius Verrin.* 3. *cap.* 31. *& paulo ante cap.* 27. *Ita Agyrio Magistratus, & quinque-primi accitu istius evocantur* (76). *Apulejus* 10. *pag.* 335. *vide Pancirol. de Mag. Mun. cap.* 8. (77) *Extat in domo Episcopali ad fenestram, quæ majorem portam Ecclesiæ Catedralis inspicit* (78). *Sext. Pomp. Fest. lib.* 1. (79) *Extat prope domum Felicis Rapollæ in Parœcia D. Nicolai.* (80) *Extat in domo honestissimi viri Viti Augustini* ἰατρῦ *excellentissimi, & prudentissimi* (81). *Extat in Arce* (82) *In ea domo, quæ a Monialibus D. Benedicti possidetur, prope earum Monasterium* (83). *Leg.* 1. *Dig. de Albo scribendo* (84). *Leg.* 30. *Dig. de Acquir. vel omitt. heredit.* (85) *Jul. Capitolin. in vita Antonini Aug.* (86) *Hottoman. lib.* 7. *Observ. cap.* 30, *& ult.* (87) *Placet tamen ex multis unicum hic adducere ex Floro in cap.* 18. *lib.* 3. *his verbis.* Umbros totus Senatus, & consules. *Florus hic duces Italicorum in bello Sociali enumerat, Umbrosque ait adactos abs toto Senatu, & Consulib. At quæso quid ad Colonias, Municipiave? cum omni Umbrorum genti Consules præfuisse ex hoc arguatur: non vero singulas eorum Urbes Consules habuisse clare appareat. At mi-

miror equidem de his Umbrorum Consulibus nec ullum verbum Appianum protulisse , quod argumento est , vel Flori commentum hoc esse , vel Flori verba ad nos corrupta nimis pervenisse . Utcunque tamen erit , nil equidem Umbrorum Consules ad Duoviros Coloniarum . (88) *Tull. in Pis. cap.*11. (89) *Cicero pro Sextio cap. sive num.*8. *Pudet equidem Campani Amphitheatri Restitutorem , Duoviros Campanos , Consules dictos scripsisse pag.*24 , *cum hoc evidens argumentum sit , ipsum tunc temporis cum talia scripsit , integras Tullii orationes non dum perlegisse ; quod sane elegans expositio hujus Ciceronis loci omnino demonstrat , τὸ enim* imaginis formandæ causa *exponit* , ideſt ut colonia Capua ad reipublicæ Romanæ imaginem formaretur . *quod equidem nunquam ex Tullio proditum est , qui Pisonem profert in summo Capuæ Magistratu gerendo , personam subhorridam , fusca , & plebeja toga , incomptoque capillo formasse , ut Romæ in Consulatu gerendo sui terrorem aliis præberet . Inepta præterea omnino sunt , quæ Restitutor Campani Amphitheatri profert , cum certum sit rempublicam in Coloniis condidisse , sive statuisse eos , qui Coloniæ deductores extitere , qui Capuæ XXviri fuerunt .* (90) *Liv. lib.* 24. *cap.* 10 , *& frequenter* (91) *Cic. Agrar.* 2. *cap.* 34. (92) *Tullius ead. Orat. eod. num.* 34. (93) *Tull. in Pis. num.* 11. (94) *Plin. lib.* 7. *cap.* 44. *fol.* 398. *v.* 7. (95) *Liv. lib.* 8. *cap.* 30. (96) *Liv. lib.* 8. *cap.* 31. (97) *Liv. lib.* 34. *cap.* 2. (98) *Ni fallor cap.* 5. (99) *Juven. Sat.* 10. *vers.* 101. (100) *Apulej . Met.*1. *pag.*33. . *Addunt Tullii ad Atticum epistolam, at cum ego eam diligenter perpendissem , nihilque de Coloniarum Magistratibus dictum reperi , ideo reticendam duxi .* (101) *Sueton. in Octav. cap.* 46. (102) *Postquam enim ad Romanum Imperium Τυράννοι accessere , dignitas Senatorum imminuta est .* (103) *Dio Cass. fuse hanc rem narrat , & Tullius sæpe in Pison. pro Sext. post Red. & alibi* (104). *Leg.* 3. *Leg.* 4. *Leg.* 9. *Cod. de nat. lib. Novella* 89. *cap.* 2. *Institut. lib.* 1. *Tit.* 10. §. 13. (105) *Extat in domo , a Marco Antonio Natale olim possessa quam , nunc Fratres Conventuales , Virginis sine labe Conceptæ titulo , possident : in Paroecia D. Nicolai* (106) . *Murat. Inscript. vet. Thesau. pag.* 1092. *num.* 6. (108) *Vide Rosinum Antiq. Rom. lib.* 10. *cap.* 8. (109) *Extat in Turri Ecclesiæ Catedralis* (110). *In duas partes hunc ingentem lapidem videre est divisum , quæ nunc columnas majoris portæ Domus* del Baliaggio alla

Ca-

Cavallerizza, *faciunt* (111). *Pratillus via Appia lib.* 4. *cap.* 5. *pag.* 475. (112) *Leg.* 16. §. 1. *Dig. de Mun. & bon.* (113) *Basilic lib.* 54. *Tit.* 3. περὶ τιμῶν πολιτικῶν Ab honoribus ad eosdem honores quinquennii datur vacatio, triennii vero ad alios. Perfunctis autem legatione, biennii vacatio conceditur. Majoribus honoribus functos, ad minores devocari non oportet, injuria namque videntur affici (114) *Leg.* 122. *Dig. de Legat. primo.* (115) *Hic lapis duabus partibus scissus ante domum* del Baliaggio alla Cavallerizza *adservabatur, dum Ægyptius Venusiæ fuit, nos vero eum nullo pacto invenire potuimus, ideo Ægyptii fidem hac in re secuti sumus* (116). *In Paroecia D. Nicolai, ad scalas domus Josephi Pinti viri honestissimi.*

CAPUT VI.

Quæ acta sint Venusiæ post primam Coloniam deductam.

SAMNITICO bello peracto, Romanos armis Tarentinos adortos fuisse historiæ docent (1); quo in bello viribus atque opibus ipsis Romanis Venusinos opem maximam tulisse, nemo est, qui negare audeat: sæpius enim Venusino in agro pugnatum: atque nusquam magis tamdiu bellum constitit, quantum Venusiam prope (2), quam urbem belli arcem Romanos tunc temporis constituisse, certum quidem est. Hujus belli fama Pyrrhum (3) Græciæ clarissimum Regem in Italiam traxit, qui semigræcam ex Lacedæmoniis conditoribus (4) civitatem vindicaturus, in ipsam cum totius viribus Epeiri, Thessaliæ, Macedoniæ, incognitisque in id tempus Elephantis, mari, terra, viris, equis, armis, addito insuper ferarum terrore, immigravit.

Lævino primum Consule pugnatum fuit, succumbentibus Romanis: at in Apulia melius dimicatum est Fabricio, Aimilioque Coss.: ait Plutarchus (5): Ἐκ τούτου μάχης ἄλλης τῶν πραγμάτων αὐτῷ δεομένων, ἀναλαβὼν τὴν στρατιὰν ἐχώρει, καὶ περὶ Ἄσκλον πόλιν τοῖς Ῥωμαίοις συνάψας. Nec semel tantum apud Asculum Pyrrhum dimicasse Romani memorabant, verum etiam rursus, cum melius exercitum disposuisset, bellum commisisse, tum enim licet maximam militum partem deperdidisset, victor tamen evasit: at de hoc

hoc secundo prælio ex Dionysio ait Plutarchus (6): ὁ μὲν τοι Διονύσιος, ὅτε δύο περὶ Ἄσκλον μάχας, ὅτε ὁμολογουμένην ἧτταν, ἱστορεῖ γενέσθαι Ῥωμαίων. Iisdem tamen Coss. Aimilio, & Cosso, quibus apud Asculum pugnatum fuerat, Acherusinis (7) campis demum bellatum est. L. Florus *Aurusinos* campos habet, qui, ubinam fuerint, ego sane ignoro, ni *Acherusini* forte reponendum sit, cum Acherusia Lucaniæ, atque Apuliæ contermina Urbs sit, quatuor, & decem passuum millia a Venusia Orientem, ac Meridiem inter posita. Cum autem Orosii liber etiam (8) *Aurusinos* proferat, (ni ex Floro ipse errorem admisit,) argumento mihi est, ipsos Romanos *Aurusinos* Acherusiæ Campos nominasse.

Domiti demum a Romanis Tarentini, Venusiæ, ceteræque Dauniæ quies reddita, usquequo in Italiam Hannibal adventaret, qui anno ab V. C. DXXXIII. reliqua Italia jam pridem devastata, in Apuliam (9) perventus est, Lucerinosque primum adortus, castra Bibinum circa posuit: Polybius ait (10): Ἀρξάμενος δὲ ταύτης ἀπὸ Λουκερίας οὔσης ἀποικίας Ῥωμαίων ἐπόρθει τὴν χώραν. μετὰ δὲ ταῦτα καταστρατοπεδεύσας περὶ τὸ καλούμενον Ἰβώνιον, ἐπέτρεχε τὴν Ἀργυριππιανὴν, καὶ πᾶσαν ἀδεῶς ἐλεηλάτει τὴν Δαυνίαν. Causabonus τὸ Ἰβώνιον *Hipponem* vertit, verum magnopere ipsum falsum esse Holstenius jam demonstravit, cum de *Vibino* Polybium locutum esse certum sit. Fabius, qui tum Romanis exercitibus dictator præerat, e longe Pœnum secutus, ut ipsum castramentatum accepit, ἀντεστρατοπέδευσε τοῖς Καρχηδονίοις, περὶ τὰς Αἴκας καλουμένας.

Sciendum est sane, me diu sciscitatum ivisse, ubinam Hannibalis tum castra fuerint, & cum ea, quæ inter Vibinum, atque Aecam interjacent,

confiderarem loca, nufquam magis confiftere Pœnorum exercitum potuiffe putaveram, quam loco Monte Calveolo cognomento: Cerbalus enim amnis eo loco affluens aquatoribus fui copiam commode dabat, atque ex eo unico loco περ' Ἰβώνιον, Arpanorum, atque Lucerinorum vaftare Pœnus arva poterat. Pudebat tamen nullis monumentis eam conjecturam fultam tradere, at dii boni! Dominicus Paffiantius *Concionatorum ordinis*, virtute, ac pietate vir nimis fpectandus, nuper mihi tradidit avunculi fui Dominici Antonii Longi fchedas, quas inter reperi fragmentum χειρόγραφυ, donationem Caftelli Calveoli Trojanæ Ecclefiæ factam continentis; in quo ipfum Calveolum Caftrum Caftris Hannibalis conterminum dicitur (11). Et fane quidem Polybius ait opportuno loco Hannibalem caftra muniiffe, ex quo univerfam Apuliam agere poffet. De Fabio autem Livius ait, per loca alta agmen duxiffe, modico ab hofte intervallo, ut neque omitteret eum, neque congrederetur: at vero magis apte Polybius, qui ad Aecas caftrametatum Fabium prodit, fex fere paffuum millia ab hofte intervallo, quot adamuffim Calveolus mons ab Aeca diftat.

At Poenus, cum nil fe in Apulia proficere poffe, dum Fabius adftaret, cognoviffet, in Samnium tranfiit, quo demum peragrato, ex Pelignis rurfus flexit iter, retroque Apuliam repetens Geryonem (12) σίτυ πλήρη pervenit, urbem metu, quia collapfa ruinis pars mœnium erat, ab fuis defertam. Hæc Livius: at de Geroninis diverfa fane Polybius, Appianufque habent; nam ipfos Hannibali reftitiffe, atque eorum urbem ex-

pugna-

pugnatam, atque pene deletam auctores sunt [13].

Tum Fabius Romanorum dictator, ne hostem Apuliam peragrare fineret, in Larinate agro castra munit, quinquaginta ducentos, ac mille procul ab Urbe Geryone passus (14), ad Frentonem amnem. Ait Appianus (15): Ὁ δὲ Φάβιος, καὶ τότε τῆς αὐτῆς γνώμης ἐχόμενος, εἵπετο, καὶ τῆς Γερωνίας ἀποσχὼν δέκα σταδίους ἐστρατοπέδευεν, λαβὼν ἐν μέσῳ ποταμὸν Ὄφιδον. Miror equidem eruditissimos viros Lollium, & Stephanum, quam fœde hisce Appiani verbis τὸ Ὄφιδον adjectum fuerit, non admonuisse. Quo enim pacto Aufidus amnis Geryonis attingere potuit mœnia, quum in proximiori nunc parte quinquaginta pene distet passuum millia; altissimis propemodum, innumerisque insuper interjectis montibus? Equidem Appianus scripsit λαβὼν ἐν μέσῳ ποταμὸν, Frentonem scilicet, qui Larinates, ac Geryonis affluit campos, tum imperitus Appiani lector, cum Frentonem Apuliæ flumen ignoraret, de Aufido ibi dictum putans, Ὄφιδον vel margini adjecit, vel in principem librum intrusit. Sed ego magis, atque magis de Stephano, atque Lollio doleo, qui λαβὼν ἐν μέσῳ ποταμὸν vertunt, *interposito inter utriusque castra Aufido amne*, cum potius dici oportuit: Fabium ita castrametatum fuisse, ut *Frentonem in medio castrorum comprehenderet.*

Dum Fabius in Larinate agro moratus est, levibus tantum pugnis cum Pœno bellatum: at cum inde sacrorum caussa Romam revocatus, Minutius Magister equitum cum contra dictatoris edictum, prospere tamen, adversus Pœnos bellasset, duo Apulorum castella eodem pugnæ die recepit. Qua de caussa a plebe Romana Fabio imperio

perio æquatus eſt: cum vero rurſus adverſus Pœnum caſtra duxiſſet, quæ jam cum Fabio diviſerat, incaute nimis cum Hannibale congreſſus, de ſe, ac de ſuis legionibus victoriam prorſus inimicis dederat, quam tamen ingenti gloria ab hoſte Fabius cum ſuis copiis extorſit. At cum adventaſſet fatalis Urbi annus DXXXIV. Coſſ. creati L. Paullus Aimilius, ac L. Terentius Varro (16): ii ad caſtra profecti levibus tantum pugnis hoſtem in frumentando laceſſunt, qui cum nec admodum apud Geryonem conſiſtere valeret, ad Cannas profectus eſt: eum Romanorum exercitus ſunt ſequuti.

Ut vero ad Cannas ventum eſt, Coſſ. bina caſtra communiunt (17), eodem ferme intervallo, quo ad Geryonem, ſicut ante copiis diviſis. Pœnorum, Romanorumque Caſtra Aufidus amnis affluebat. Diu altercationibus Conſulum animi occupati, Paulus enim nunquam cum hoſte congrediendum exiſtimabat: at Romanorum fato urgente, Varro, penes quem imperii ſumma ea fatali die contigit, copiis eductis, atque adverſus hoſtem inſtructis, flumen tranſivit. Jam pridem Pœnus caſtra munierat averſa Vulturno vento, qui campis torridis, ſiccitate nubes pulveris vehit: his ventus, (18) dum pugna committeretur adverſus Romanos coortus multo pulvere in ipſa ora volvendo, proſpectum ademit: acriter utrinque diu pugnatum eſt; Romani tandem maxima ex parte ad internecionem cæduntur, quos inter L. Paullus Aimilius invictiſſimus Coſ., cujus conſilia ſi locum obtinuiſſent, non equidem Romana clade Cannæ nobilitatæ fuiſſent. Reliqui diſſipati

pati omnes, equos ad fugam petentes; ex clade subducti sunt: septem millia hominum in minora castra, decem in majora, duo ferme millia in ipsam urbem Cannas profugerunt.

Terentius autem Varro ἀνὴρ αἰσχρὰν μὲν τὴν ψυχὴν, ἀλυσιτελῆ δὲ τὴν ἀρχὴν τὴν αὐτοῦ τῇ πατρίδι πεποιημένος (19), cum septuaginta fere equitibus Venusiam nostram profugit: ait Polybius (20), ὀλίγοι δέ τινες εἰς Οὐενουσίαν διέφυγον. ἐν οἷς ἦν καὶ Γάϊος Τερέντιος ὁ Ῥωμαίων στρατηγός. Et Paulo post τῶν μὲν γὰρ ἑξακισχιλίων ἱππέων, ἑβδομήκοντα μὲν εἰς Οὐενουσίαν μετὰ Γαΐου διέφυγον. Ii vero, qui in castra se receperant, agmine facto per medios hostes, Canusium pervenerunt, & cum postero die Pœnus ad oppugnanda Romana castra profectus esset, ex iis ad quatuor millia hominum, ac CC pedites (21) palati alii per agros, aliique agmine facto Canusium profugiunt. Eos omnes, qui Canusium pervenerant, mulier Appula nomine Busa, genere clara, & divitiis, mœnibus tantum a Canusinis receptos, frumento, veste, viatico etiam juvit, pro qua munificentia huic postea, bello perfecto, ab Senatu honores habiti sunt.

Venusiam tamen ad Cos. ad quatuor millia, & quingenti pedites equitesque, qui sparsi fuga per agros fuerant, pervenere (22): & quidem admiranda satis est Venusinorum constantia, atque munificentia erga Romanos jam victos. Eos omnes enim Venusini per familias (23) benigne accipiendos, curandosque cum divisissent, equitibus quadrigatos nummos quinosvicenos, & peditibus denos, & arma, quibus deerant, dederunt (24).

Post cladem Cannensem Apulia, Samnium, ac jam prope tota Italia Hannibalis est facta (25) Ἀρχυεστα-

πανοὶ δὲ, καὶ Καπυανῶν τινὲς ἐκάλουν τὸν Ἀννίβαν. οἱ δὲ λοιποὶ πάντες, ἀπέβλεπον ἤδη τότε πρὸς Καρχηδονίους (26). Hercle mirum ſane eſt, Venuſinos nedum in Romanorum fide manſiſſe, ſed maxima munificentia omnes, qui ad ſe profugerant, affeciſſe. Verum quidem eſt eorum partem ex Romanorum Colonis jam fuiſſe; at nec certe dubium eſt tum maxima ex parte Venuſinos ex Apulis, Samnitibuſque conſtitiſſe.

Igitur Romanos omnes, qui cladem evaſerant, atque ad Conſulem Venuſiam pervenerant, cum per familias benigne accipiendos, atque ſi ſaucii eſsent, curandos, diviſiſſent, ex eleganti lana equites ſingulos (qui numero peditibus præſtabant) tunica, & toga donarunt: ii enim quum equum in fuga adjutorem habuiſſent, arma haudquaquam projecere, ideo urbanis veſtibus ſolum donarunt, quod ſuperfluum ſane eſſet, ſi arma armis adderent; eoſque inſuper quiniſvicenſis quadrigatis nummis donarunt. At pedites, qui expeditiorem fugam captando arma projecerant, armis primum, quibus deerant, donarunt, additis quadrigatis denis. Ceteraque publice ac privatim hoſpitaliter facta; certatumque, ne a muliere Canuſina Populus Venuſinus officiis erga Romanos vinceretur (27).

Compertum quidem eſt quadrigatos nummos argenteos denarios eſſe, & denarium pro decem libris æris habitum fuiſſe, ait Plinius. „ „ In Militari tamen ſtipendio ſemper denarius „ pro decem aſſibus datus. Nota argenti fue„ re, bigæ, atque quadrigæ; & inde bigati, „ & quadrigati dicti. Velim autem ſcias Venuſinos, non quinquaginta, & ducentis aſſibus ſingulos equites, & centum aſſibus pedites ſingulos do-

donasse, nam Q. Fabio Maximo dictatore (28) asses unciales facti: placuitque denarium sexdecim assibus permutari, qninarium octonis, sestertium quaternis: igitur Romani equites quadringentis assibus singuli donati sunt, & pedites sexaginta, & centum.

Ut vero ad Varronem Cos. redeamus, Campanorum legati animo subdolo, ac versuto cum ad eum Venusiam venissent, invenerunt cum paucis, ac semiermibus, quam maxime miserabilem bonis sociis, spernendum vero superbis atque infidelibus Campanis, qui cum ad incitas res Romanas redactas cognovissent, continuo Hannibalem vocarunt cum eo societatem ineuntes (29). At Milites, qui se Canusium receperant in Appium, atque Scipionem tribunos, rerum summam contulere (30), qui postquam incolumem esse Cos. Varronem accepere, nuntium extemplo miserunt, quantum secum peditum, equitumque copiæ essent: sciscitatumque simul, utrum Venusiam adduci exercitum (31), an Canusii manere juberet. Varro demum ipse Canusium copias traduxit.

Interea revocato in Urbem Varrone, atque ad exercitum Marcello dictatore profecto, Hannibal ex Apulia in Samnium movit, at ex Samnio rursus in Apuliam profectus, eam suis copiis continue lacessebat (32), & licet modo Brutios, modo Sallentinos, modo Samnites, aliosque Pœnus peteret, Apulia tamen haud quaquam se abstinuit (33). Romani Luceriam arcem belli constituerunt, quoniam Capuæ, atque Samnio ea proximior esset (34). Marcello autem,

& Lævino Coff. cum fæpe in Apulia pugnatum effet, in Lucaniam Pœnus eft profectus: ex qua demum in Apuliam rediens, ad Venufiam (35) Marcellus Cof. eum adeptus eft. Ibi cum ab ftationibus procurfaretur, mifta funt fæpe equitum, peditumque tumultuofa magis prælia, quam magna: omnia ferme tamen Romanis fecunda. inde per Apuliam ducti exercitus fine ullo memorando certamine (36).

Milites, qui ex clade Cannenfi cum Cof. Varrone Venufiam profugerant, atque Venufinorum munificentiam fuerant experti, Senatufconfulto in Siciliam relegati (37) fuerunt, atque de iis ftatutum fuit, ne quis eorum munere vacaret, neu dono militari virtutis ergo donaretur, neu in Italiam reportaretur, donec Pœnus hoftis intra Italiam effet, & cum A. V. C. DXXXIX Marcellus proconfulare imperium ad perficiendum in Sicilia bellum, obtinuiffet, juffum ei fuit, ut cum reliquiis fui exercitus bellum perficeret, (38) fi fupplemento ipfi opus effet, fuppleret de legionibus, quibus P. Cornelius pro prætore in Sicilia præeffet: dum ne quem militem legeret ex eo numero, quibus Senatus miffionem, reditumque in patriam negaffet (39) ante belli finem. Iis etiam additi fuere Fulvii milites, qui priore anno DLXXXIII in Apulia prope Herdoneam male pugnaverant, atque inde fœde cæfi, fugatique a Pœno victore fuerant. Tunc additum etiam utrorumque ignominiæ eft, ne in oppidis hibernarent, neve hiberna propius ullam Urbem decem millibus paffuum ædificarent (40).

Cum vero militum, qui in Siciliam transportati fuerant, major pars Latini, Sociorumque nominis esset, hinc evenit, ut ea de re Coloniæ, Sociæque Civitates maximopere quererentur, & cum ex iis militiæ munera Romani expeterent; negaverint esse, unde milites, pecuniamque darent (41). Diversum omnino tamen Venusinis consilium fuit, qui petentibus Coss. responderunt. „ Et milites ex formula paratos esse: & si pluribus opus esset, plures daturos: & quidquid „ aliud impetraret, velletque populus Romanus „ enixe facturos; ad id sibi neque opus deesse, „ animum etiam superesse. „ Ex quo munificentissimo responso, devictis Romanorum animis, nedum Venusinis, sed & ceteris Coloniis in fidem manentibus, gratiæ, & in Senatum, & apud Populum actæ sunt.

Q. Fabio V, & Q. Fulvio Flacco IV Coss., Marcellus, qui Apuliam Provinciam obtinuerat, media æstate Venusiam in tecta milites abduxit: cum vero jam ante adversam cum Pœnis ipse pugnam habuisset, C. Poblicius Bibulus Tribunus plebis ei inimicus assiduis concionibus infamem, invisumque plebi ita reddiderat, ut jam de ejus imperio abrogando ageretur. Tum necessarii Claudii, cum obtinuissent, ut Legatum Venusiæ relinquendi Marcello fieret potestas, eum statim Romæ acciverunt. Atque cum dies statuta esset, ut de imperio Marcelli abrogando ageretur; Tribunus fraude Marcelli factum τραγῳδῶς concionatus est, ut exercitum jam primum cæsum, mediam per Italiam Hannibale agente (42), æstivo deinde tempore Venusiæ contineretur. At Mar-

 cel-

cellus rebus ſuis memoratis, & glorioſiſſimis bellis per eum actis, nedum ut abrogatio ſui imperii antiquaretur obtinuit, ſed poſtero die Conſul quinto deſignatus eſt.

Bellum tunc Marcellus ſtatim ex Apulia in Hetruriam tranſtulit (43). Exercitus vero, qui erat Venuſiæ ibi permanſit, uſquedum ex Etruria ipſe Marcellus Venuſiam rediens, ſupplemento addito ex eo exercitu, ſimul profectus eſt (44). Quintius vero Criſpinus Coſ. alter, qui in Brutiis rem gerebat, quum a Venuſia eductum exercitum ſenſiſſet, Marcello conjungi ſe cupiens, ex Brutiis in Apuliam reditum feſtinat, & inter Venuſiam, & Bantiam minus trium millium paſſuum inter ſe ſpatio, ambo Coſſ. binis caſtris conſedere quá de re Plutarchus ait: καὶ πολλὰ μεταξὺ Βαντίας, πόλεως καὶ Βενυσίας καθήμενος, ἠρέθιζε τὸν Ἀννίβαν. quod contrarium omnino eſſe videtur iis quæ ex Livio, atque ex Appiano prodita ſunt, nam tum Hannibalem prope Venuſiam veniſſe ex iis accipimus, cum jam ibi Romani Coſſ. caſtrametati fuerant: Appiani ſunt verba (45), Ἀννίβας δὲ ἐπειγόμενος ἐς αὐτὴν, ὡς ἔμαθεν εἰλημμένην, παρῆλθεν ἀχθόμενος ἐς Θουρίους κἀκεῖθεν ἐς Βενυσίαν. ἔνθα αὐτῷ Κλαύδιός τε Μάρκελλος, ὁ Σικελίαν ἑλὼν, πέμπτον ὑπατεύων τότε, καὶ Τίτος Κρισπῖνος, ἀντιστρατοπεδεύοντες, οὐκ ἐτόλμων ἄρχειν μάχης. Hannibal locum omnem inſidiis quæſivit, ex quibus Marcellus circumventus, interfectus eſt: eaque de re etiam Tullius meminit (46). Marcelli exercitus Criſpini Coſ. juſſu Venuſiam abductus eſt: cumque rerum geſtarum litteræ Romæ recitatæ eſſent, Q. Fabius filius ad exercitum Venuſianum profectus eſt (47).

Conſulatu autem C. Claudii Neronis, & M. Li-

Livii, quod anno insequenti gestum est, ad exercitum Venusiam profectus C. Hostilius Tubulus; cui Urbana jurisdictio initio anni obvenerat, & peregrina ei etiam addita, ut in Provinciam exire posset (48). Is exercitu accepto Hannibalem per extremum finem agri Larinatis copias in Sallentinos ducentem, adeo lacessivit, ut quatuor millia hominum a Pœno sint desiderata (49), & novem signa militaria. Pœnus nocte castra movens in Brutios concessit: Hostilius vero ex Iapygia Capuam petens obvius ad Venusiam fit Consuli Claudio, ibi ex utroque exercitu electa peditum quadraginta millia, duomillia & quingenti ex equitibus, quibuscum Consul adversus Hannibalem rem gereret: reliquas copias Hostilius Capuam ducere jussus, ut Q. Fulvio Proconsuli traderet (50).

Cum vero Pœnum ad Grumentum castrametatum fuisse, certum esset, eodem tum ex Venusia Romanus Cos. contendit (51), & mille fere, & quingentos passus ab hoste castra locat: bellum inde commissum, in quo cæsi sunt ex Pœnis octo hominum millia, supra septingenta capti, signa militaria novem adempta, Elephanti etiam duo capti, quatuor occisi (52). Hannibal ex eo in Apuliam contendit, eumque magnis itineribus Claudius Cos. ex agminis vestigiis petens, haud procul Venusia assequitur (53): ibi quoque tumultuaria pugna fuit: supra duomillia Pœnorum cæsa inde nocturnis montanisque itineribus ex eo excedens Pœnus Metapontum petiit (54). Ibi novis copiis reliquo suo exercitu additis, Venusiam retro, quibus excesserat itineribus,

bus, continuo repetit (55): atque inde Canusium processit (56).

Tum Claudius, cum rescivisset Asdrubalem Hannibalis fratrem ingentibus copiis præditum in Italiam adventasse, nimia celeritate sua castra Collegæ castris adjungens, ambo ad resistendum Asdrubali profecti sunt (57). Ad Metaurum prælium ingenti clade commissum, in quo nedum omnes fere Pœnorum copiæ, sed ipse Asdrubal cæsus est. Quæ cum nuntiata non sine magno dolore Hannibali essent, fecere, ut Pœnus Apulia relicta in Brutios se reciperet, ibi annos quatuor moratus, ac sæpe a Romanis victoribus fusus (58), vocatus tandem ad Carthaginem tuendam, pacem Apuliæ, atque universæ Italiæ restituit.

---

(1) *Florus lib. 1. cap. 18. Liv. Epitom. lib. 22.* (2) *In Venusinis campis sæpe procursatum fuisse, bellum apud Asculum, & prope Acherusiam, manifestum reddit. Plut. in Pyrrho. Florus lib. 1. cap. 18. Orosius Hist. lib. 4. cap. 1. Zonar. Annal. lib. 2.* (3) *Id. Florus eod. loco, ceterique Scriptores.* (4) *Strabo Geograph. lib. 6. Plut. in Pyrrho pag. 395.* (5) *Plut. loco cit. pag. 396.* Ibi cum res recideret, ut esset iterum ei pugnandum, castra movit, & ad oppidum Asculum signa cum Romanis contulit (6) *Id. Plut. eod. loc.* Dionysius quidem Romanarum historiarum scriptor, neque duo apud Asculum prælia, neque huic (*Pyrrho scilicet*) certam cladem fuisse scribit. (7) *Florus lib. 1. cap. 18.* (8) *Orof. Hist. lib. 4. cap. 2. Frontin. IV. stratag. 1. Doctissimi viri Cluerius, & Cellarius* Taurasinos *reponendum putarunt, verum longe aberratos fuisse mihi sententia est, nam ex Aurusinis Campis Pyrrhus in Lucaniam properavit, quod ipsi difficile quidem fuisset, si*

apud Taurasium male pugnasset. Videnda omnino sunt ea, quæ viri doctissimi ad L. Flori locum scripserint; Videndus est etiam Cellarius Geograph. Antiqu. pag. 556. & Cluerius Ital. Antiq. lib. 4. (9) *Polyb. hist. lib. 3. Liv. lib.* 22. *cap.* 6. (10) Incipiens ex hac regione Lucerinæ Coloniæ agrum vastabat: post hæc vero castra metatus est circa locum cognomento Vibino, ex quo vastabat Argyrippanorum agros, & universam depredabatur Dauniam (11) *Verba Cheirographi ἀκέφαλά sunt . . . . rabili Episcopo Casalem qui dicitur ..... La..... ano cum omnibus juribus, & pertinentiis suis .....* plures deficiunt versus .... *minus incipit a loco qui dicitur Casa sola ..... Montis Calvelli transit per CASTANNIBALIS, & descendit usque ad flumen, & tres passus ultra flumen vadit .... terminus descendit secus Sandorem, & vadit per lacum rotundum recta via ad Bassianum .... terminus vero est a Bassiano & per vallem R... &c &c.* (12) *Appian Alexandr. de bell. Hannibal. pag.* 557. (13) *Polyb. lib.3. Appian. loc. cit.* (14) *Appianus eod. loco.* (15) Fabius eodem semper animo, ac voluntate e vestigio subsequutus, decem stadia a Geryone castra locat, comprehendens in medium flumen. (16) *Polyb. lib. 3. Liv. lib. 22. cap. 21. Appian. lib. de bell. Hannibal. pag.* 559. (17) *Polyb. lib.3. Liv. lib. 22. cap. 26.* (18) *Liv. lib. 22. cap. 26. Sil. Ital. lib.* 8. (19) Pravi fœdique homo animi, & qui pessimo consilio magistratum in patria sua gessit. (20) *lib.* 3. Pauci vero aliqui Venusiam profugerunt; in quibus erat C. Terentius Consul Romanorum ...... Nam ex sex equitum millibus, septuaginta cum Cajo Venusiam evaserunt. (21) *Liv. lib. 22. cap.* 28. (22) *Liv. lib. 22. cap.* 30. (23) *eod. loco.* (24) *loco jam citato.* (25) *Polyb. lib. 3. pag.* 372. (26) Harpani, & Capuani sponte Annibalem vocabant, & ceteri omnes ad Carthaginenses inclinare cœperunt. (27) *Liv. lib. 22. cap.* 30. (28) *Plin. Hist. nat.* (29) *Liv. lib. 23. cap.* 2. (30) *Liv. lib. 22. cap.* 29. (31) *Liv. lib. 22. cap.* 30. (32) *Liv. lib. 23. cap. 18. cap. 25. cap. 26. cap.* 33. (33) *eod. loco.* (34) *Liv. lib. 23. cap. 33. & ex sexcentis aliis locis ead. Dec. lib. 24. cap.* 1. (35) *Liv. lib.27. cap.* 1. (36) *eod. loco.* (37) *Liv. lib. 25. cap. 5 & alibi sæpe.* (38) *Liv. lib. 26. cap.* 1. (39) *Liv. eod. loco.* (40) *loco cit.* (41) *Liv. lib. 27. cap. 12. A. V. C. DXLI.*

DXLI. (42) *Liv. lib. 27. cap. 22.* (43) *Liv. lib. 27. cap. 33.* (44) *eod. loco.* (45) *Appiam de bell. Hannibal. pag.* 589. Hannibal ad Tarentum festinabat, sed in itinere certior factus captum esse, graviter dolens, Thurium se recepit. inde Venusiam, quo in loco Claudius Marcellus, qui Siciliam devicerat, tum quintum cos., & T. Crispinus castra habebant, sed prælio tamen se abstinebant. (46) *Tuscul. quæst. lib.* 1. *Liv. lib. 27. cap. 25.* (47) *Liv. lib. 27. cap. 27.* (48) *Liv. lib. 27. cap. 34* (49) *Liv. lib. 27. cap. 34.* (50) *eod. loco.* (51) *Liv. loco cit.* (52) *Liv. lib. 27. cap. 35.* (53) *eod. loco.* (54) *Liv. loco cit.* (55) *Liv. lib. 27. cap. 35.* (56) *Liv. lib. 27. cap. 35.* (57) *Liv. eod. lib. cap. 37.* (58) *Liv. lib. 30. cap. 16.*

CA-

CAPUT VII.

De altera Romanorum Colonia Venusiam deducta.

PUtares ex Italia jam Pœno excessio, pacem statim Apuliæ redditam, verum diversa omnino se res habuit, cum Romani, quibus immodica, atque pessima cupiditas semper fuit, majora, atque plurima mala, quam Pœnus, Appulis intulerint. Hannibal, quum apud Cannas copias Romanorum ita profligasset, ut de eorum imperio quisque actum existimaret, tum Apuliæ omnes Populi, ac potissimum Græci, qui maritimam oram incolebant, qûum quotidie a Pœno magnopere ad defectionem incitarentur, ad eum tandem déscivere. Quod cum gravius Romani tulissent, pulso jam ex Italia Hannibale, Apulos omnes agro multarunt. Teanensis, Geruninus, Conlatinus, & Herdoniensis ager, anno ab Urbe Condita DLIII P. Sulpicio, C. Aurelio Coss. veteranis, qui in Africa, Scipione duce bellati fuerant, divisus, atque adsignatus est: en quæ Livius prodit (1) „ Exitu hujus anni, „ cum de agris veterum militum relatum esset, „ qui ductu, atque auspicio P. Scipionis in A- „ frica bellum perfecissent, decreverunt Patres, „ ut M. Junius, prætor. Urbanus, si ei videre- „ tur, decemviros agro Samniti, Apuloque,

 „ quod

,, quod ejus publicum populi Romani esset, metiendo, dividendoque crearet. Creati P. Servilius, Q. Cæcilius Metellus, Cn., & M. Servilii (Geminis ambobus cognomen erat) L. & A. Hostilii Catones, P. Villius Tappulus, M. Fulvius Flaccus, P. Aelius Pætus, Q. Flaminius. ,, Petet quis, cur abs ipsis decemviris, qui ex nobilissimis Romanorum familiis delecti fuere, non scripserim Arpanorum, atque Salapinorum agrum etiam divisum, atque adsignatum, cum Arpani primi omnium post Cannensem pugnam ad Hannibalem desciverint? Responsum quidem in promptu est: in Arpanorum agro Colonia Sipontum deducta est, & Salapia ipsa Colonia est deducta. Dubium vero nobis est de Asculanensi agro, quem, num Coloniæ Venusinæ adjectum, adfirmare quidem non valemus: igitur & ipsum, cum Herdoniensi, veteranis a decemviris divisum fuisse, ex iis, quæ superne notavimus, Livii verbis arguendum est.

At Venusini, qui Romanos ingenti bello vexatos, nedum pecuniæ suppetiis, verum etiam militum multitudine sæpe sæpius juverant, & opum, & hominum multitudine, majori ex parte jam orbati erant. Hannibal præterea, cum sæpe Venusinos vastasset agros, colonosque captivos duxisset, Venusinorum civium etiam numerum maximopere imminuerat. Quibus ex caussis Romani, ut Venusiam in pristinam faciem revocarent, novos illuc Colonos anno Urbis DLIII. misere; quorum sane numerus nobis omnino latet. Ego quidem puto minorem ac bismille fuisse, nam Livius prodit novos Colonos ad veterum numerum supplendum missos.

Ea-

Eaque ætate Venusinum sane agrum adauctum puto, vel Forentano, vel Bantino, vel alio Apulo, Lucanove contermino agro: digni enim erant Venusini, ut maximo præmio adficerentur, cum in tam ancipiti ac periculosissimo bello, ut bonis fidelibusque populi Romani sociis decebat, se gessissent. Livius hac de nova Coloniæ deductione prodit (2). „ Triumviri inde „ creati ad supplendum Venusinis Colonorum nu„ merum, quod bello Hannibalis adtenuatæ vi„ res ejus Coloniæ erant, C. Terentius Varro, „ T. Quintius Flaminius, P. Cornelius Cn. F. „ Scipio: hi Colonos Venusiam adscripserunt. „ Honor Coloniæ deducendæ summis reipublicæ viris datum semper fuisse, nedum Romanorum historiæ, sed Tullius ipse in Agrariis, & alibi frequenter docet, hinc nostræ Coloniæ deducendæ honor primum Cajo Terentio Varroni datum, qui sexdecim ante annos, cum Consul fuisset, septuaginta vix equites secum habens, Venusiam confugerat, Venusinorumque expertus fuerat munificentiam; deinde Quintio Flaminio nobilissimo ac celebri viro, de quo omnino videnda sunt, quæ Plutarchus prodidit, ac demum P. Cornelio Scipioni, cujus gesta quidem dicendo minora fiunt. Hos igitur cum vexillo novam Coloniam Venusiam duxisse certum est.

Disquirere equidem non juvat, num, hac nova deductione Venusini agro multati fuerint, cum Venusinorum agros pene vacuos relictos fuisse, jam vidimus; erat præterea tunc temporis Apuliæ fere omnis ager publicus populi Romani, qua de causa, non equidem Venusino ege-

egebant, ut Veteranos remunerarent. At de Venusinorum domibus quid actum fuerit, mihi prorsus incompertum est, nec enim perfecto bello, tot Venusinorum familiæ interire poterant, ut tot vacuæ domus relinquerentur, quæ novis Colonis omnino sufficerent. Novam muro Coloniam ductam adfirmare quidem non audemus, cum Livius *ad supplendam* Coloniam novos Colonos missos ait. Igitur potius in adsignandis domibus, quam agris, Triumviris curæ fuerunt, quod qua ratione advenerit, in tanta rerum antiquitate, & monumentorum deficientia, divinare quidem non valeo.

---

(1) *Liv. lib.* 31. *Cap.* 4. *Anno* 549. *quod Capitolinis tabulis est* 552. (2). *Liv. lib.* 31. *Cap.* 33. *MSS. habent* Venusibus *alii*, *aliique* Venusio. *T. Quintus Flaminius a Plutarcho* Φλαμίνιος *appellatur*, *verum ea de re consule Sigonium*, *ceterosque eruditissimos viros in notis ad Livium*, *quos inter haud prætermittendus Drakemborck*.

ANTIQUITATES VENUSINÆ.

LIBER II.



ANTIQUITATES VENUSINÆ.

LIBER II.



UÆ priori libro de Venusinis commentati sumus, scimus equidem non omnia ea ætate evenisse, de qua usque dum a nobis historiæ sunt conscriptæ: ex iis enim monumentis, quæ tertiæ demum Coloniæ deductæ tempore constructa sunt, antiquam Venusinorum Rempublicam restituimus. Prima sane ætate cum raræ Romæ fuerint litteræ, raras etiam per Italiam magis fuisse, facile credendum esset, verum in eam sane credulitatem, non facile adducor, cum certum sit, Etruscos longe ante Romanos ipsos, scribendi artem consecutos esse: et primo Samnitico periculosissimo bello a Romanis bellatoribus duos linteos conscriptos codices in Samnio re-

repertos fuisse. Verum enim vero haud facile mihi persuadeo Romanos, qui primi Coloni Venusiam deducti sunt, tunc temporis eam litterarum scientiam Venusiam transtulisse, quo continuo lapides inscriberentur. Ceterum etsi Venusinis litterarum usus ante primam Coloniam deductam fuerit, is equidem haudquaquam Latinarum esse debuit; ipsi enim vel Græca, vel Daunorum naturali lingua usi sunt, quæ si eadem ac Etrusca fuerit, mihi non adeo compertum est. Dauniorum sane maritimorum linguam, Græcam fuisse, historiæ, & monumenta docent, verum num eadem apud μεσόγειοι obtinuisset, in tanta rerum ævitate, quis divinare audeat? Igitur hac altera operis parte eæ nobis tractandæ res erunt, quæ ipsa eadem ætate, de qua sermo erit, actæ fuerint; ideoque ex eo ego ordiar, quod primum post secundam Coloniam Venusiæ deductam, factum esse arbitror.

CAPUT I.

Quis Appiam viam per Venusiam straverit.

ROMANIS, dum Pœnorum inimicitia fuit, haudquaquam magnificentiæ in operibus publicis, ac luxuriæ cupido incessit; cum vero sublata Carthago fuisset imperii æmula, totaque Italia in ditionem populi Romani concessisset, tum demum ipsis voluptatum, magnificentiæquæ publicæ studium increbuit. Tum sane Scipio Nasica,

ca, Metellus, Gn. Octavius magnificentissimas, amœnissimasque porticus Romæ moliti sunt (1). Appiam Viam magnificum, & mirabile populi Romani opus jam tum ex belli Samnitici tempore ingenti sumptu Roma Capuam usque perductam fuisse ab Appio Claudio ante omnium constat (2). Verum quis eam Capua primum Beneventum, atque ex Benevento per Venusiam, Brundusium usque perduxisset, disquirendum adhuc nobis est.

Ego minime adsentior Pratillo, qui novam de hac re sententiam nullo fultam argumento protulit; Appios scilicet alteros Appiæ viæ Capua Brundusium usque, & ad Columnam perductæ adstruendo auctores. Ridicula vero omnino sunt, quæ ipse de Plutarcho scripsit, quem ait magnopere hallucinatum esse; dum viæ Capua Brundusium usque constructæ C. Gracchum auctorem demonstravit (3). In quam Plutarchi sententiam, cum omnes eruditissimi viri, qui hisce de rebus scripserunt, abierint, nos etiam libenter concedimus: ipsum etiam Pratillum imitati, qui quum modo inurbane Plutarchum tractasset, paullo post magnopere illum laudat, ejusque probat sententiam, & Gracchum Appiæ viæ Capua Brundusium usque perductæ auctorem esse fatetur (4).

En Plutarchi verba (5) Ἐσπούδασε δὲ μάλιστα περὶ τὴν ὁδοποιίαν, τῆς τε χρείας ἅμα καὶ τοῦ πρὸς χάριν, καὶ κάλλος ἐπιμεληθείς. εὐθεῖαι γὰρ ἤγοντο διὰ τῶν χωρίων ἀτρεμεῖς. καὶ τὸ μὲν ἐστόρνυτο πέτρᾳ ξεστῇ, τὸ δὲ ἄμμου χώμασιν ἀκτοῖς ἐπυκνοῦτο. πιμπλαμένων δὲ τῶν κοίλων καὶ ζευγνυμένων γεφύραις, ὅσα χείμαρροι διέκοπτον ἢ φάραγγες, ὕψος δὲ τῶν ἑκατέρωθεν ἴσον καὶ παράλληλον λαμβανόντων, ὁμαλὴν

καὶ

καὶ καλὴν ὄψιν εἶχε διόλου τὸ ἔργον. πρὸς δὲ τούτοις διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδοῦ πᾶσαν [τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ] κίονας λιθίνοις σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν. ἄλλοις δὲ λίθοις ἔλαττον ἀπέχοντας ἀλλήλων ἑκατέρωθεν τῆς ὁδοῦ διέθηκεν, ὡς εἴη ῥᾳδίως τοῖς ἵπποις ἔχουσιν ἐπὶ βαίνειν ἐπ' αὐτῶν, ἀναβολέως μὴ δεομένοις.

Viæ, quas Gracchus conſtrui curavit, quænam, niſi quæ a Capua Brundusium usque perductæ sunt, esse possunt? quales enim viæ eam magnificentiam, ac sedulam extructorum diligentiam oſtentabant, quantam viæ Brundusio Romam usque? Reliquarum certe viarum consularium, populique Romani publicarum auctorum nimis clare præfulgent nomina, adeo ut nemo dicere audeat viam Clodiam, Aureliam, Valeriam, Flaminiam, Minuciam, ceterasque a C. Graccho ſtratas fuiſſe. Viæ quidem ignobiles, quæ etiam populi Romani publicæ fuerunt, nullo ſane pacto Gracco auctori adſcribi possunt, quum eæ conſtructæ ſint, uti Siculus Flaccus admonet (6) „ muniuntur per pagos, ideſt per Magiſtros „ pagorum, qui operas a poſſeſſoribus ad eas „ tuendas exigere ſoliti ſunt, aut ut comperimus, „ unicuique poſſeſſori per ſingulos agros certa ſpa„ tia adſignantur, quæ ſuis impenſis tuentur „. Iis præterea operibus operam Gracchus navare debuerat, quæ maximam utilitatem populo Romano afferebant, eo enim pacto populi Romani benevolentiam captare poterat. Et ſane quidem compertum eſt omnium utiliſſimam eam viam fuiſſe, quæ commodiori, ac compendioſo itinere Brunduſium uſque Roma perduceret, ad portum ſcilicet Italiæ celeberrimum, ex quo ad tranſmarinas Provincias Romani proficiſcebantur.

Quæ

Quæ cum ita sint, certum sane erit, Appiam viam Venusiam usque productam fuisse circa Urbis annum DCXXX; tunc enim Appianus ait (7). Ὁ δὲ Γράκχος καὶ ὁδοὺς ἔτεμεν ἀνὰ τὴν Ἰταλίαν μακράς, πλῆθος ἐργολάβων καὶ χειροτεχνῶν ὑφ' ἑαυτῷ ποιούμενος, ἑτοίμους ἐς ὅ, τι κελεύοι. Verum num ipse Gracchus Capua Brundusium usque hanc viam straverit, incertum omnino est, facile quidem in doctissimorum virorum sententiam adducimur, qui quum ex Plutarcho scirent, Cæsarem in prima ejus juventute Appiæ viæ curatorem factum, Appiæ viæ partis constructionem ipsi Cæsari vindicarunt: quem sane credendum est Venusia, vel ab eo loco, quo desiit Gracchanum opus, Brundusium usque viam Appiam continuasse.

Viam quidem Appiam per Urbem Venusiam ductam fuisse præter ea, quæ Pratillus protulit argumenta, Strabo ipse testis est (8) ἐν ταύτῃ (appia scilicet via) δὲ πόλις Οὐρία τε, καὶ Οὐενουσία, quod clarius deinceps scribit (9) συνάπτουσι δ' ἤδη μέχρι τῆς Ῥώμης Ἀππία καλεῖται, διὰ Καυδίου δὲ Καλατίας, καὶ Καπύας, καὶ Κασιλίνου μέχρι Οὐενούσιας. Verum τὸ Οὐενούσιας mendose in Strobonis libros irrepsisse mihi videtur, quum iter a Benevento Romam usque persequatur.

Adhuc Appiæ viæ reliquiæ Venusiæ extra Urbem visuntur, immo prope Divi Francisci Ædem nedum magnificentissimæ hujus viæ, sed etiam Pontis mirabilis structuræ adhuc reliquiæ extant: contestatique mihi sunt honestissimi Venusini Cives, qui me antiquæ Urbis reliquias visentem comitabantur, eam viam per mediam Urbem eadem admirabili structura, iisdemque prægrandioribus marmoreis lapidibus stratam sæpe sæ-

sæpius inveniri, cum vel novo silice viæ sternendæ excidantur, vel novis domibus construendis fundamenta extruantur. De Appiæ viæ structura Bergerius, & Henninius clarissimi viri plura commentati sunt, nobis tamen de ea aliquid dicere nec vacat, nec lubet.

Duo Venusiæ supersunt monumenta, quæ ad vias pertinent, primum jam recitavimus libro priori, quum de Venusinis Magistratibus nobis sermo fuit: illud tamen hic repetere juvat (10).

C. FLAMINIVS
GALLVS AED.
VIAM ET CREPIDN
OB. HONOREM. STR.
EX D. M. PO.

Romanum sane Ædilem Flaminium haudquaquam fuisse, duo mihi persuadent argumenta: primum τὸ *ob honorem*, quod male omnino de Romano Ædili dictum esset, potissimum quum demonstret ædilitatem ipsi delatam; quoniam vias munire, crepidinesque reparari pollicitus fuerat: qua de re elegans extat Pauli jurisconsulti locus libro primo sententiarum. Alterum argumentum, ut Flaminium Venusinum Ædilem credamus, est, quod si ipse Romanus Ædilis esset, Curulem, vel Plebejum fuisse, lapis demonstraret, ut sæpe in Gruteri Thesauro factum videtur. Ac demum neque Plebeii, neque Curules Ædiles unquam Italiæ vias curarunt, verum Urbis Romæ solum vias, ac ædificia, ut ex Dionysio aliisque compertum est.

Igi-

Igitur Flaminium Venusiæ Ædilem fuisse nulli dubium est, at quam viam ipse straverit, & quas crepidines extruxerit? Puto equidem, vel Urbis viam, vel viam quæ ab Urbe in suburbanum aliquod duceret, vel in aliquam Præfecturam. Quid porro sibi volunt crepidines in nostro lapide? Crepidines hic nihil aliud erunt, quam ii margines, qui in extremis oris viarum extruebantur, ut itinere fessis levamine inservirent: aperturæ etiam frequentes in iis marginibus fiebant, ut imber ex viis in agros descenderet, atque ex eo *crepidines* dictas sunt, qui putant, quod aqua ex iis exiliens *concrepitet*. Nos vero cum Vossio ex τῆς κρηπῖδος crepidinem dictam putamus, quoniam crepidines intra definitum spatium vias continerent, & veluti bases viæ essent: κρηπὶς vero non ex κρεμῶ, & πῦς, sed ex κρημνὸς, quod scilicet crepido viæ præcipitium muniat (11). Crepidines porro Flaminium in suburbanis viis extruxisse nobis videtur, quum Urbis viæ haudquaquam crepidinibus indigebant: ni forte cum Venusia in edito colle posita fuerit, Flaminium Urbis crepidines, sive præcipitia muniisse credendum ducas, ob honorem Ædilitatis acceptum.

Alterum Venusiæ extat monumentum, quod ad Appiam Viam omnino pertinere videtur, illudque a Pratillo profertur hoc modo (12).

Q. OVIVS Q. F.
OVF. TRIB. PL.
VIAM . STRAVIT

At ego cum Venusiæ adessem, lapidemque ex omni parte finitum conspexissem, his verbis inscriptum reperi, ut apprime in Muratoris Inscriptionum veterum Thesauro adservatur (13).

Q. OVIVS OVF
TR. PL. VIAM
STRAVIT

Verum quid sibi vult Pratillus ex Tribunis Plebis, quos quidem nescio qua fretus auctoritate Appiæ viæ structores compellat: qua de re ejus verba inferne apposita (14) vide. Et sane hanc ipsi sententiam Venusinus lapis omnino invexit, cum Q. Ovium Tribunum plebis viam stravisse ex illo manifestum sit. Verum si rem Pratillus perpendisset, & Ovium eo tempore, cum hic viam stravit, non dum etiam Tribunum plebis fuisse cognovisset, non equidem viarum sternendarum curam, uti Censoribus, aliisque magistratibus, sic Tribunis etiam Plebis tribuisset. Procul enim dubio est, Tribunos Plebis annuos magistratus fuisse, & eo anno, quo magistratum gerebant, nec unum certe diem a Roma abesse potuisse. Dionysius testatur (15) Περιγέγραπται αὐτῶν τὸ κράτος τοῖς τείχεσι, καὶ οὐδὲ ἀπαυλισθῆναι τῆς πόλεως αὐτοῖς θέμις, ὅτι μὴ πρὸς ἕνα καιρὸν ἐν ᾧ πᾶσαι θύουσιν αἱ τῆς πόλεως ἀρχαὶ κοινὴν ὑπὲρ τοῦ Λατίνων ἔθνους τῷ Διὶ θυσίαν ἐπὶ τὸ Ἀλβανῶν ὄρος ἀναβαίνουσαι. Cum vero viarum Curatores, ut opus sibi demandatum maxima cura, & diligentia perficeretur, ipsi operi præessent, hinc est viarum curam sternendarum nullo pacto Tribunis plebis demandari potuisse.

Nec

Nec movet me eruditissimus Bergierius, qui C. Gracchum, & Curionem Tribunos Plebis viarum auctores ostendit; Gracchus enim tum demum vias muniendas curavit, cum prorogato sibi Tribunatu, legibus seditiosis universam Romanam Rempublicam perturbaverat. Et Curio nunquam ipse vias stravit, verum legem tulit, ut viæ publica pecunia munirentur, sibi per quinquennium eam Præfecturam postulans, postquam a Tribunatu jam cessaverat. Appianus testatur (16). Ο῾ δὲ Κυρίων, ἵνα μὴ ἄφνω μετατιθέμενος, γίγνοιτο κατάφωρος, εἰσηγεῖτο βαρυτάτας ὁδῶν πολλῶν ἐπισκευάς τε καὶ κατασκευάς, καὶ αὐτὸν ἐπιστάτην αὐτῶν ἐπὶ πενταετὲς εἶναι. εἰδὼς μετὰ αὐτὸν οὐδὲν τούτων ἐσόμενον. Eam legem M. Cœlius Ciceroni scribens ait fuisse non dissimilem agrariæ Rulli; Curionis enim lege agrorum possessores maximo damno afficiebantur; nam præterquam via per medios agros ducebatur, ipsis agrorum conterminorum dominis, vectigalium, ceterarumque rerum, quæ ad vias muniendas necessariæ comperiebantur, servitus imponebatur. Manutius vero (17) Curionis legem ideo Agrariæ Rulli adsimilatam putat, quoniam Curio ad Rulli exemplum sibi præfecturam in quinquennium optabat: verum Curio dum leges tulit, certus jam ipse erat nil ex iis, quæ proferebantur, se obtenturum, ut jam ex Appiano novimus, quod etiam Cœlio haudquaquam latere debuit: ideo igitur potius similis Agrariæ Rulli Curionis lex putanda est, quoniam agrorum possessoribus magnopere molesta.

At Curio solus legem viariam protulit, dum plebis Tribunus esset, non vero C. Gracchus etiam, uti visum est clarissimo Everhardo

Ottoni in libro de Tutela viarum (18). Gracchus enim, ut Plutarchus ait (19) ἔγραψε, scilicet *decrevit ipse* de viis sternendis, non vero ad Populum tulit, & Appianus scribit (20) Ὁ δὲ Γράκχος καὶ ὁδοὺς ἔτεμεν ἀνὰ τὴν Ἰταλίαν μακράς, auctoritate sua scilicet, non igitur unquam ad Populum ipse tulit, ut de Curione apud Appianum (21) manifeste scriptum est; εἰσηγεῖτο βαρυτάτας τὰς ὁδῶν πολλῶν ἐπισκευάς; Quæ cum ita sint, certum sane erit Tribunos Plebis, dum adhuc Tribunatu fungebantur, neque sua, neque publica pecunia viis per Italiam sternendis animum intendere potuisse: neque C. Gracchus nobis exemplum erit, illis enim seditiosis temporibus, adeo Romanorum res turbatæ erant, ut nulla pene lex tum vigeret.

Quid igitur Ovius Tribunus plebis ex viis quærit? τὸ sane TR. PL. honoris caussa procul dubio in lapide appositum est, ut quotidie factum est ab iis, qui aliquam dignitatem obtinuerant, ii enim cum sui aliquod monumentum ponebant, omnes dignitates jam olim adeptas in titulo inscribere consuevere. Cum vero Ovius viam per Venusiam stravit, de Appia quidem omnino intelligendum est: quæ si ita sint, clarum sane erit, neque Appios, neque Gracchum viam Capua Brundusium usque produxisse, cum Gracchum non omnem viam, verum ejus partem aliquam stravisse, certum sit, quam Venusia Brundusium usque iisdem populi Romani sumptibus continuatam fuisse dices, vel Cæsaris tempore, qui ipse Appiæ curator factus est, vel paulo ante. Quod etiam titulus Ovio positus ostendit, qui cum non admodum elegantioribus litteris inscriptus sit, ar-

argumento est Augusti ætatem præcessisse.

Sciendum autem est Romanos, cum celeriter Brundusium properare vellent, haudquaquam Appia per Venusiam usos fuisse, verum Benevento Equotuticum tendebant, ex quo per Undecimum, Canusium accedebant, inde per Egnatiam celeriter demum Brundusium properabant, quod non tantum ex Tullio, Cæsare aliisque proditum, verum etiam ex mensura ipsa manifestum est. Hanc viam, Egnatiam ad Trajani usque ætatem dictam accepimus, qui cum postea impensa sua eam refecisset, suum etiam nomem tribuit. Cum vero Romanos Egnatia via semper usos esse cognoverim, diu dubium fui, an Appiam crederem viam, quæ per Venusiam ducta est: verum Strabo in reliquorum sententiam me jurare cogit, non ita tamen, ut nullum mihi dubium omnino remaneat: potissimum cum ex Peutingeri tabula, via, quæ a Roma per Capuam, & Beneventum ducitur, haudquaquam per Venusiam transit, immo Venusia ipsa duarum viarum caput demonstratur. Et Antonini Tabulæ aliud mihi dubitationis suppeditant argumentum, adeo ut facile in Procopii (22) abirem sententiam, Appiam viam semper eam tantum dictam putantis, quæ Capua Romam usque ducta est.

CA-

---

(1) *Vellej. Paterc. lib. 2. cap. 1.* (2) *Tit. Liv. lib. 9. cap. 20. aliosque Scriptores vide apud Bergerium, & Henninium.* (3) *Pratill. Via Appia lib. 1. cap. 3.* Quindi non molti anni dopo, che i Romani ebber soggio-

lic. lib. 8. *p.* 554. *Sylburg.* Circumſcriptum eſt eorum imperium mœnibus, neque extra urbem pernoctare ipſis fas eſt, niſi quando veſpere, tempore quo omnes Urbis magiſtratus comunem Jovi ſacrificant ſacrificium pro Latinorum genere, cujus ſacrificii cauſa Albanum Montem conſcendunt. [16] *Appianus Alex. bell. Civ.* 2. *pag.* 731. Curio vero quo minus appareret eum repente deſciviſſe ad partes adverſas, rogationes de muniendis, ſternendiſque viis intulit, ſibi hanc præfecturam petens in quinquennium, certus nihil harum rerum ſe impetraturum. (17) *ad Epiſt. fam. Cic. habes in edit. Grævii, & Gronovii.* [18] *Otto de tut. viar. cap.* 4. *pag.* 354. [19] *Plut. in C. Gracch. pap.* 837. (20) *Appianus. Civ. lib.* 1. *pag.* [21] *Id. Appian. Civ. lib.* 2. *pag.* 731. [22] *Procop. de bell. Got. lib.* 1. *cap.* 14. *pag.* 347. Ἐςὶ δὲ ἡ Ἀππία ὁδὸς, ἡμερῶν πέντε ἀνδρὶ εὐζώνῳ. ἐκ Ῥώμης γὰρ αὐτὴ ἐς Καπύην διήκει.

CAPUT II.

Origo Socialis belli, & num Gracchus novam Coloniam Venuſiam deduxerit.

INGENTEM potentiam, quam Romani ex tot feliciſſimis peractis bellis nacti fuerant, maxima divitiarum copia ſequuta eſt, qua primum uſi ſunt per Italiam ingentibus agris comparandis, vindicandoque ſibi deinde pecudis genere omni, ingentes demum, ex iis partas divitias in extruendo mari, & montibus coæquandis profundendo. Igitur cum omnes fere Italiæ agri a divitibus poſſiderentur, qui ut eos colerent, ingenti ſervorum numero utebantur, hinc eſt, ut reliquis Italis nil aliud reli-

relictum esset, quam pericula, repulsæ, judicia, egestates, atque unica vitæ ratio, si vitam honeste agere cuperent, nomen scilicet militiæ dandi. Appianus ait hac de causa Italos magnopere imminutos fuisse, cum omnes continuis expeditionibus consumebantur τρυχομένους πενίᾳ τε δὲ ἐσφοραῖς, καὶ στρατείαις (1). Si autem ipsis belli vacatio esset, tum otio consumebantur, cum neque propriam agri partem haberent, neque suam operam in alienis agris colendis præstare possent, in maxima illa servorum copia, quibus divites abundabant.

Tum Tiberius Gracchus Italorum, & egenæ Romanæ plebis bono consulens agrariam legem, jam olim non semel intentatam, protulit, qua cavebatur, ne quis plus quingenta agri jugera possideret, neve quis pasceret plus centum capita majoris, & quingenta minoris pecoris (2). Eam legem ægre quidem divites tulere: egenæ vero Plebi, quum maximopere grata fuisset, ingentium querelarum causa fuit, non Romæ solummodo, verum etiam in Romanorum Coloniis, in quibus quum Romani Coloni divites admodum evasissent, ea lex toto Cœlo aspernabatur: cum contra, qui egestate premebantur, ut ea lex ferretur, magnopere expetebant. Appianum hac de re omnino audire est (3). Πλήθει τε θαῤῥοῦντες, ἐξετραχοῦντο, καὶ στάσεις ἐξῆπτοντες ἀμέτρους, τὴν δοκιμασίαν τοῦ νόμου περιμένοντες, οἱ μὲν, ὡς οὐδενὶ τρόπῳ συγχωρήσοντες αὐτὸν γενέσθαι κύριον, οἱ δὲ, ὡς κυρώσοντες ἐξ ἅπαντος. φιλονεικία δὲ ἑκατέροις προσεπιπίπτεν ἐπὶ τῇ χρείᾳ, δὲ ἐς τὴν κυρίαν ἡμέραν παρασκευὴ κατ' ἀλλήλων. Lata est demum lex, & Triumviri agris dividen-

dendis creati sunt duo Gracchi fratres & Appius Claudius Tiberii socer (4). Quibus de caussis, maxima quæ Romæ orta erant dissidia, eo adducta sunt, ut cum Gracchus alterum Plebis Tribunatum petiisset, ne lex, quæ modo lata, acceptaque fuerat, antiquaretur, divitum hominum opera, dum in comitiis Populus esset, fragmine subsellii ictus, vitam immatura morte finiret.

Legis tunc agrariæ patrocinium ad Fulvium Flaccum, Papirium Carbonem, & C. Gracchum Tiberii fratrem delatum est, cum jam Itali Cornelium Scipionem, qui strenua ipsorum opera in bello sæpe usus erat, in patronum consciverant. Tum divitibus, quibus molesta agri divisio erat, Italos Romana Civitate donandos sententia fuit, ut novo maximo beneficio, quod summopere sibi largiri Itali optabant, devincti, agri possessionem veteribus possessoribus æquo animo sinerent: Huic vero sententiæ toto conatu Senatus adversabatur, qui haudquaquam ferre poterat, ut Itali subditi Romanis rerum dominis jure æquarentur. C. vero Gracchus fratris exemplo Tribunatum plebis ingressus, Civitatem universis Italicis dabat, agros dividens, & longe majora, & acriora, quam frater Tiberius, repetebat.

Certum sane est C. Gracchum, ut Plebis Romanæ sibi animum devinciret, quamplurimas deduxisse Colonias, de eo enim Vellejus (5) scribit *novis Colonis replebat Provincias*, & Appianus (*6*) Καὶ ἀποικίας εἰσηγεῖτο πολλὰς: hinc nobis in suspicionem venit, num etiam Gracchus & Venusiam nostram novos Colonos deduxisset: nec

movebat me Vellejum de *Provinciis* locutum fuisse, nam sæpe Italiæ regiones, in quas Proconsules mittebantur (7), Provinciæ dictæ sunt. Nostram vero suspicionem C. ipse Gracchus apud Gellium auxit, plebem enim Venusinam manifeste in Asiam translatam indicat, quod tum fieri poterat, cum novi Coloni Venusiam deducti fuissent, iisque ager, qui plebis Venusinæ fuerat, assignatus. Verba C. Gracchi sunt (8). „ Quanta libido, quantaque intemperantia sit hominum adolescentium, unum exemplum vobis ostendam. His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato. Is in lectica ferebatur, ei obviam bubulcus de plebe Venusina advenit: & per jocum, cum ignoraret, qui ferretur: rogavit, num mortuum ferrent? ubi id audivit: lecticam jussit deponi; stuppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit. „ Lipsius *in Asiam* legendum putat, at Schefferus antiquam lectionem retinendam censet: facile Lipsio adsentiendum puto, cum in eo eruditissimi viri omnes fere consentiant: neque enim videtur peregrinum hominem tantum facinus ausum fuisse, ut in Italum crudeliter animadverteretur,

Apparet igitur ex C. Gracchi verbis Plebem Venusinam, tum quando legatus ex Italia excessit, in Asiam jam translatam fuisse: quis enim intra Italiam tantum facinus patrare auderet? Neque Venusinus a Graccho *viator* dicitur, verum *bubulcus de Plebe*, quod ideo dictum videtur, ut Venusinus eo suas boves, pastio-

ftionesque tunc agere demonftraretur, cum legatus tranfierat. Et *de Plebe* ideo adjectum, ut manifeftum effet Venufinum bubulcum ex iis effe, qui *plebeis* in Afiam deducti funt. Quæ omnia fi ita effent, aperte demonftrarent a C. Graccho Venufinæ Coloniæ novos Colonos adfcriptos fuiffe, ac ipfis eum agrum datum, qui plebis Venufinæ jam fuerat.

Verum infirma fane argumenta funt, quæ propofuimus, ut Gracchum novos Colonos Venufiæ adfcripfiffe credamus, primum enim Plebs Venufina non tam facile fe ex Italia deduci paffa fuiffet, deinde Gracchus, nedum Romanorum, fed & Italorum etiam leniebat animos; ac demum haudquaquam repugnat, facinus a Legato intra Italiam commiffum fuiffe, potiffimum, cum qui ex tranfmarinis Provinciis Romam adventabant, per Venufiam tranfire foliti funt. Verum his prætermiffis, aliud fupereft argumentum: lege cautum erat, ut nulla quidem Urbs, dum Colonia quondam deducta integra manebat, rurfus Colonia deduci poffet: hanc legem fæpe Tullius in Agrariis laudat. Nullo igitur pacto Gracchus novam Coloniam Venufiam deducere poterat, cum tunc temporis Venufina Colonia maximopere valeret.

(1) *Appianus bell.* Civ. *lib.* 1. *pag.* 605. *Itali contra paucitate fui laborabant:* afflicti paupertate, exactionibus, & expeditionibus (2). *Id. App. lib. eod. pag.* 606. *Vellejus lib.* 2. *cap.* 2. *aliique* (3). *Appian. lib.* 1. *pag.* 608.

Ex

Ex *recensione Tollii*, & *Stephani*. Τοιαῦθ' ἑκατέρων ὀδυρομένων τε καὶ ἀλλήλοις ἐπικαλούντων, πλῆθος ἄλλο ὅσον ἐν ταῖς ἀποίκοις πόλεσιν, ἢ ταῖς ἰσοπολίτισιν, ἢ ἄλλως ἐκοινώνει τῆς δὲ τῆς γῆς, δεδιότες ὁμοίως ἐπῄεσαν, καὶ ἐς ἑκατέρους αὐτῶν διεμερίζοντο. Inter has multas exprobationes, querelasque ad Colonias quoque, ac municipia, ceterosque quocumque jure agrorum possessores, mali hujus pervenit contagium, metu jacturæ, ut ibi vulgus in partes se scinderet, ita ut quæque sunt factionis fracta numero in adversam exasperaretur, & res ad seditionem spectaret, omnibus in executionem legis intentis, alteris haudquaquam animatis, ut ratam esse paterentur, alteris nihil non ausuris pro ea. Sic neutris suo jure cedere paratis, expectabatur dies destinata perferendæ legis comitiis. Ἐξετραχοῦντο *lege* ἐξετραχύνοντο: & *deinceps* οἱ μετὰ *lege* οἱ μὲν [4]. *Appian. eod. lib. pag.* 611. *Vellej. lib.* 2. *cap.* 2. (5) *Vellej. Paterc. lib.* 2. *cap.* 6. (6) *Appian. Civ. lib.* 1. *pag.* 619. (7) *Appian. eod. lib. pag.* 633. (8) *Aul. Gellius Noct. Attic. lib.* 10. *cap.* 3. τὸ *stuppis*, *alii legunt* Struppis. *Vide Scheffer. de re vehic.*

CAPUT III.

Bellum Sociale, & *Romana Civitas Venusinis data*.

AD ea igitur, quæ prædiximus, ut redeamus; sciendum est, post necem Tiberii Gracchi, Italos Cornelium Scipionem patronum delegisse, ut Civitatem Romanam, quam iis pollicitus Tiberius Gracchus fuerat, obtinerent. Verum dolo Cornelio Scipione sublato, Fulvium Flacum Consulem, & C. Gracchum Tiberii fratrem novos acerrimos patronos obtinuere, quibus per injuriam etiam sublatis, Livius Drusus Tribunus Plebis

bis eorum caufam fufcepit. Hic quum Senatorium, atque equeftrem ordinem aliis ex cauffis inimicum haberet, dum e foro revertebatur, univerfæ Italiæ civitatem dandam (1) moliens, immenfa, & incognita (quæ femper eum comitabatur) cinctus multitudine, in atrio domus fuæ cultello percuffus, qui affixus lateri ejus relictus eft, intra paucas horas deceffit (2).

Itali qui quotidie tantorum virorum præfidio jam minui videbantur, defectionem quidem a Romanis meditabantur, tum quando mors Drufi injuria, iam primum tumefcens Italicum bellum continuo excitavit (3): quod primum ab Afculanis Piceni ortum, a Marfis deinde exceptum eft, quos ftatim fecuti funt Venufini, Apuli, Hirpini, ceterique. Appianus ait (4) Ἐκραγείσης δὲ τῆς ἀποστάσεως, ἅπαντα ὅσα τοῖς Ἀσκλαίοις ἔθνη γείτονα ἦν, συνεξέφαινε τὴν παρασκευήν, Μάρσοι τε, Μαγλῖνοι, καὶ ΟΥἸστῖνοι, καὶ Μαῤῥουκῖνοι, καὶ ἐπὶ τούτοις Πικεντῖνοι, καὶ Φερεντανοί, καὶ Ἱρπῖνοι, καὶ Πομπηϊανοί, καὶ ΟΥΕΝΟΥΣΙΟΙ, καὶ Ἰάπυγες, Λευκανοί τε, καὶ Σαμνῖται, χαλεπὰ Ῥωμαίοις, καὶ πρὶν ἔθνη γενόμενα. Undique igitur exercitus excitantur, & Sociorum Italorum tum clariffimi, ac celeberrimi imperatores fuere T. Afranius, P. Ventidius, Marius Egnatius. Q. Silo Poppædius, C. Papius Mutilus, M. Lamponius, C. Judacilius, Herius Afinius, Inftejus, vel Vettius Cato, C. Pontidius, & Pontius Telefinus. Ex his Papium Mutilum, Venufinorum ducem fuiffe, ex eo conjectare eft: Venufiæ tum maxima cuftodia Oxinta Jugurtæ Numidarum Regis filius adfervabatur, quem Papius Venufinis adfentientibus in fua caftra abftraxit, atque purpura amictum militibus C. Cæfaris contra fe exercitus ducentis, often-

ta-

tavit, qui cum majori ex parte Numidæ essent, ad Papium acervatim descivere. Appianus auctor est (5) Ὁ Πάπιος Ὀξυντᾶν, υἱὸν Ἰογόρθου τῶ Νομάδων ποτὲ βασιλέως ὑπὸ Ῥωμαίων ἐν Οὐενουσίᾳ φυλαττόμενον, ἤγαγεν ἐκ τῆς Οὐενουσίας. Καὶ περιθεὶς αὐτῷ πορφύραν βασιλικὴν, ἐπεδείκνυ θαμινὰ τοῖς Νομάσι τοῖς σὺν Καίσαρι. πολλῶν δὲ ὡς πρὸς ἴδιον βασιλέα αὐτομολούντων ἀθρόως, τοὺς μὲν λοιποὺς τῶν Νομάδων ὡς ὑπόπτους ὁ Καῖσαρ ἐς Λιβύην ἀπέπεμψε. Hoc cum advertisset Cæsar, reliquos suos Numidas in Africam remisit: & Papius tum qui Consulis castra ausus est aggredi, ingenti suorum clade fugatus est (6). Cum igitur Papius Oxintam ex Venusinis recepit, & ipsum Venusinum fuisse apparet.

Sociorum tamen res tunc temporis Judacilius in Apuliam agebat, tum Canusini a Venusinis magnopere adacti a Romanis etiam defecere, quorum exemplum secutæ sunt pleræque Apuliæ Civitates. Appianus (7): Ἰουδακιλίῳ δὲ ἐν Ἰαπυγίᾳ προσετίθεντο Κανύσιοι καὶ Οὐενούσιοι, καὶ ἕτεραι πόλεις πολλαί. Quæ vero in Romanorum fide remanserunt, omnes vi a Judacilio Picentium duce expugnatæ sunt (8). Tum vero cum Romanorum res non admodum prosperæ essent, eisque militum numerus deficeret, libertos in milites adscivere, atque ut socios, qui nondum defecerant, in fidem retinerent, Civitate eos donarunt, atque de ipsis statutum est, ut postremi omnium in novis tum ideo creatis tribulibus suffragia ferrent.

C. Cosconius Prætor ad recipiendam profectus Apuliam, Salapiam primum vi captam incendit, deinde Cannis in fidem receptis (9), ad oppugnandum Canusium proficiscitur: tum Trebatius Samnitium Imperator, eum adortus, primum fugavit, verum, cum rursus prælium commit-

mitteretur, Cosconii tum victoria fuit (10), qui Larinatium primum, deinde Apulorom, atque Venusinorum agris pervastatis in Pediculos demum avertit iter. Appianus (11). Καὶ ὁ Κοσκώνιος τὴν Λαρινάιων καὶ Οὐενυσίων καὶ Ἀσκλαίων γῆν ἐπιδραμὼν, ἐς Ποδίκλους ἐσέβαλε, καὶ δυσὶν ἡμέραις τὸ ἔθνος παρέλαβε.

Tum Metellus, cui anno insequenti Provincia Apulia demandata fuerat, Venusiam clarissimam Apuliæ Urbem, ex qua ingentes copiæ in bellum mittebantur, primum adortus, oppugnare cœpit: Venusinum interea agrum vastando, Urbem diu obsessam, tandem vi cepit, quod Diodorus Siculus testatur (12). Καὶ Μέτελλος κατὰ τὴν Ἀπυλίαν τὴν Οὐενυσίαν πόλιν ἀξιόλογον οὖσαν, καὶ στρατιώτας πολλοὺς ἔχουσαν, ἐξεπολιόρκησε κατὰ καιρὸν τὸν αὐτὸν, καὶ πλείους τῶν τρισχιλίων αἰχμαλώτους εἷλεν. Jam tum omnes pene Italicæ Urbes in Romanorum fidem reciderant, Venusia, & Nola supererant, quæ etiam dum belli onus sustinebant. Venusia in Romanorum fide recepta, bellum Marsicum, quod amplius ccc millia juventutis Italicæ abstulit, nedum in Apulia, sed omnem per Italiam finitum est: reliquiæ Nolani belli tantum remansere, quæ a Sulla Felice demum deperditæ sunt.

Ne credas tamen Venusinos sola Cæcilii Metelli virtute devictos fuisse, sciendum est, eos tum demum Romanis cessisse, quum Romana civitas, quam maxima contentione a Populo Romano expetierant, ipsis delata est. Petebant enim eam civitatem, cujus imperium armis tuebantur, per omnes annos, atque omnia bella duplici numero se militum, equitumque functi erant, neque in ejus

ci-

civitatis jus recipi poterant, quæ per eos, aliosque socios, in idipsum pervenisset fastigium, per quod homines, ejusdem & gentis, & sanguinis, ut externos, alienosque fastidire posset (13). Qua de re querentibus Venusinorum Legatis apud Romanum Senatum, dum ipsi jam Marsis, ceterisque defectionis auctoribus adjuncti fuerant, ferociter responsum est, *εἰ μεταγινώσκουσι τῶν γεγονότων, πρεσβεύειν ἐς αὐτὴν, ἄλλως δὲ μή* (14).

En demum igitur Venusinos Romana Civitate jam donatos, ex *subditorum* scilicet jure, in Regum conditionem elatos, atque ideo omni re, atque omni munere Romanis ipsis æquatos. Verum hi novi Cives in novas octo tribus distributi sunt: ne potentia eorum, & multitudo, veterum civium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii (15). Ait Appianus (16). *Ἐς δὲ τὰς φυλὰς ὅμοια τοῖς προσυχοῦσιν ἕκαστοι κατελέγοντο, τοῦ μὴ τοῖς ἀρχαίοις ἀναμεμιγμένοι ἐπικρατεῖν ἐν ταῖς χειροτονίαις πλέονες ὄντες.* Atque hic sociali bello finis fuit, quod licet fortuna atroce, justissima tamen caussa abs Sociis Italici nominis gestum est.

CA-

(1) *Vellej. Pat. lib. 2. cap. 14.* (2) *Appian. Civ. lib. 1. pag. 632.* (2) *Vellej. lib. 2. cap. 15. Appian. lib. lib. 2. pag. 634.* (4) Itaque aperta jam defectione omnes finitimi arma corripiunt, Marsi, Peligni, Vestini, Marucini: eos sequuntur Picentes, Ferentani, Hirpini, Pompejani, Venusini, Apuli, Lucani Samnites, nationes jamdudum infensæ Romano nomini (5). *Id. Appian. eod. lib. pag. 636.* Papius vero Oxintam Jugurtæ regis quondam

dam Numidarum filium, e Venusina, in qua tum asservabatur custodia eductum, ornatumque purpura ostentabat ejus popularibus sub Cæsare militantibus, quumque crebra eorum, ut ad proprium regem, fierent transfugia; consul ceteros, ut suspectos remisit in Africam (6). *Appian. eod. loco pag.* 657. (7) *eod. loco*. Ad Judacilium vero in Apulia defecere Canusini, cum Venusinis, & aliæ multæ civitates. *Hunc sane locum omnino corruptum existimo, quonam enim pacto Venusini ad Judacilium deficiunt. quum ipsi sociorum primi adversus Romanos arma cepere? potius igitur legerem συν̀ 'ΟΥενύσιοις, quod scilicet Venusini Canusinos ad defectionem a Romanis adegissent* (8). *Appian. Civ.* I. *pag.* 637. (6) *Appian. lib. eod. pag.* 644. (10) *eod. loco* (11). Tum Cosconius Larinatium, Venusinorum, Asculanensiumque agris pervastatis Pediculos invasit, & intra biduum tota gente per deditionem potitus est (12). *Diodor. Sicul. lib.* 37. *Eclog.* I. *pag.* 538. Et Metellus in Apuliam Venusiam celeberrimam Urbem, & milites multos in bello mittentem eodem tempore expugnavit, & militum plures termille vivos cepit. *τὸ στρατιώτας εχυσαν legitur in aliis codicibus ἀνέχυσαν* (13). *Vellej. lib.* 2. *cap.* 15. (14) Si resipuerint, auditurum se, alias non (15). *Vellej. lib.* 2. *cap.* 20. (16) *Civ.* I. *pag.* 645. Digesti sunt autem in suas tribus, quæmadmodum supra dictum est de aliis sociis, ne permixti veteribus civibus, ut numero, suffragiis etiam vincerent. *Quod jam ante dixerat pagina* 641.

CAPUT IV.

In Romanorum Civilibus bellis Venusinorum fortuna.

CIVITAS Venusinis, ceterisque sociis Italici nominis data civilium armorum sæpe sæpius prætextum fuit, nam Marianum primum bel-

 lum

lum a novis civibus geſtum eſt, a quibus ut Marius adjuvaretur, ſuffragiorum jure veteribus civibus coæquare pollicitus eſt. Καὶ τοὺς ἐκ τῆς Ἰταλίας νεοπολίτας, μειονεκτοῦντας ἐπὶ ταῖς χειροτονίαις, ἐπήλπισεν ἐς τὰς φυλὰς ἁπάσας διαιρήσειν, ut Appianus loquitur (1). Mario autem proſcripto, Cinna Coſ. qui Mario magnopere faverat, novis civibus undique accitis, eiſque Marii ἐνθύμημα commiſcens, rurſus in veteribus tribulibus eos adſcribendos propoſuit (2). Quod, cum Octavius collega Conſul alter, qui veteres tuebatur cives, omnino diſſentiret, maximi tumultus cauſſa fuit: nam dum ipſe Cinna legem ferret, ac Tribuni plebis omnes fere intercederent, ad arma deventum eſt: novique cives tum maxima eorum cæde profligati ex urbe pulſi ſunt (3). Tunc bellum Cinnanum exortum eſt, quod magna Romanorum clade, juvantibus Italicis, geſtum eſt: hujus belli fama Marium jam profugum, peſtifero civibus ſuis reditu, in Italiam accivit (4).

Cinnam Sulla ſecutus eſt, cui poſtmodum Italici eadem, de qua prædiximus, cauſſa, adjuncti ſunt: ipſe ex Aſia in Italiam adveniens ad Canuſium primum cum Norbano Conſule dimicavit (5): deinde cum ſæpe per Italiam prælia confererentur, & ex omnibus Sulla victor evaſiſſet, ſuos milites, alios per Italiam cuſtodiæ cauſſa diviſit, alios vero Colonos deduxit (6).

Civilia jurgia Spartaci bellum ſequutum eſt; quod maxima ex parte ad Garganum Apuliæ montem, quo rebellantes confugerant, Crixi, ſuorumque clade geſtum, atque diſſipatum eſt (7); perfectum vero a Licinio Craſſo. Huic bello rurſus

ſus civium aliæ diſſentiones, contentioneſque ſucceſſere, ex quibus calamitates, & mala multa, nedum Apuliæ, verum etiam toti pene Italiæ obveniſſe Romanorum Hiſtoriæ docent (8). Coaleſcentibus demum civilibus jurgiis, paululum quievit Romana Reſpublica.

At M. Tullio Cicerone, & M. Antonio Conſulibus Catilinarium exitiale bellum exarſit, tum Catilina C. Julium in Apuliam dimiſit (9), arma, viroſque ad bellum expetentem; verum conjurati omnes Ciceronis ſingulari virtute, conſtantia, vigilantia, curaque detecti, majori ex parte necati ſunt: Catilina demum ipſe in Etruriam contra Antonium Coſ. dimicans, ſpiritum, quem ſupplicio debuerat, pugnans prælio reddidit (10).

Jam pene orbis totus pacatus erat, cum idem Cæſarem, ac Pompejum furor occupavit, qui non tantum civile, vel ſociale, vel externum, ſed potius commune quoddam ex omnibus, & pluſquam bellum peperit. Cæſar Italiam pene totam, ipſamque Urbem jam occupaverat, ultimaque omnium Apulia Pompejo remanſerat, ex qua demum, contradicente Cicerone, tamen Pompejus exceſſit, atque Dyrrachium tranſnatavit. Duas belli arces in Apulia tum a Pompejo conſtitutas fuiſſe apparet, Luceriam ſcilicet, & Canuſium; Venuſiæ vero noſtræ nullum ſane monumentum ſupereſt.

Pompejo Pharſalicis campis primum ſuperato, ac deinde in Ægypto detruncato, victor Cæſar in Italiam rediit: quem cum Romanam Rempublicam occupaſſet, Brutus & Caſſius trucidarunt. Tum novum civile bellum ortum eſt; dumque Urbem Romam Dolabella, & M. Antonius Coſſ.

 prout

prout luberet agitarent, tum sua præsentia M. Tullius Cicero, cujus præclarissimi viri vivit, vivetque per omnium sæculorum memoria, Venusiam nostram condecorare meditatus est, quod Attico litteris significavit (11): aliud tamen ipsi deinde consilium fuit, mare enim ingressus Vibonem Brutiorum Urbem petiit, ex qua cum Regium pervenisset, ex eo deinde in Tusculanum suum rediit (12).

Jam ipse Tullius Pisone, & Gabinio Coss. A. U. C. DCXCV. patria exul, cum jam pridem in Græciam trajecisset, indeque Italiam repetiisset, Venusiæ nostræ per aliquos dies moratus fuit, atque dum in Venusinorum amœnissimis villis se recrearet, Kal. Octobris (13) Terentiæ Uxori scripsit, se ex Venusia Tusculanum suum petiturum. Ac demum M. Marcello, & Servio Sulpicio Coss. anno scilicet Urbis Conditæ DCCII, Proconsul in Ciliciam iturus per Venusiam nostram transiit, atque inde ad Atticum litteras conscripsit, se per Venusiam iter fecisse nuntians, scribit enim: (14) „ tantum tamen scito idibus „ Majis nos Venusia mane proficiscentes has de- „ disse „. Nec equidem scio num Tullius rursus Venusiam advectus sit, frequentior enim ipsi via per Canusium fuit.

Ex Apollonia, interim Octavius hæres a Cæsare scriptus, in qua studiis vacandi caussa morabatur, in Italiam navigavit: cumque Cæsaris testamentum Brundusii sibi innotesceret, statim ac Romam pervenit, Cæsaris nomen sibi conscivit. Ex omnibus gravissimis, quæ ipsi fuerunt bellis, alterius potius, quam sua virtute victor evasit. Bello Mu-

tinensi peracto, exitialem cum Lepido, atque Antonio amicitiam iniit, triumviratu tum R. P. C. caussa constituto. Exercitus tunc inter eos ita distributi sunt, ut singuli viginti legiones obtinerent. Militibus vero ut acriter, ac celeriter bellum peragerent, inter alia dona tunc temporis proposita, duodeviginti fuere tum Italiæ Urbes maximæ, quæ agri bonitate, ædificiorumque præstantia ceteris pollerent, quas inter præcipue Venusia nostra connumerata est. Hæ igitur militibus Coloniæ tum demum deducendæ decretæ sunt, cum jam bellum cum Cæsaris interfectoribus perfectum esset. Appianus est auctor (15): Ἐπελπίσαι δὲ ἤδη τὸν στρατὸν ἐς τὰ νικητήρια τοῦ πολέμου ἄλλαις τε δωρεαῖς, καὶ ἐς κατοικίαν δόσεσι τῶν Ἰταλικῶν πόλεων ὀκτωκαίδεκα, αἳ καὶ περιουσίᾳ, καὶ ἐδάφει καὶ οἴκοις εἰς κάλλος διαφέρουσι, ἔμελλον αὐτοῖς ἐδάφεσι καὶ οἴκοις αὐτῷ διανεμήσεσθαι, ὥσπερ αὐτοῖς ἀντὶ τῆς πολεμίας δορύληπτοι γενόμεναι· καὶ ἦσαν αἱ πόλεις ἄλλαι τε δὲ αἱ περιφανέσταται μάλιστα αὐτῶν Καπύη, καὶ Ῥήγιον, καὶ ΟΥΕΝΟΥΣΙΑ, καὶ Βενεβεντὸς, καὶ Νουκερία καὶ Ἀρίμινον, καὶ Ἱππώνιον. οὕτω μὲν τὰ κάλλιστα τῆς Ἰταλίας τῷ στρατῷ διέγραφεν.

Cum vero proscriptionis etiam immanissima lex tum lata esset, Vetulinus tunc (16) aliis proscriptis sibi adjunctis, & Venusinis, ceterisque, quorum patriæ Urbes coloniæ militibus Triumvirorum decretæ fuerant, Brutium potissimum, ac ceteras Italiæ regiones (17) maximopere vexavit. Exactus deinde ex majoribus Triumvirorum copiis in Siciliam ad Pompejum se recepit (18). Vetulini deinde exemplum Hirtius sequutus est (19). Et sane Pompejus, qui diu strenue quidem Siciliam sibi Provinciam vindicavit, bellum adversus Triumviros duodeviginti Civitatum copiis adjutus, maxime gessit: quibus etiam copiis frumentum, quod ex Apulia ad

ad Triumviros contra Brutum, & Caſſium agentes mittebatur, ipſe ſæpe ſæpius intercepit.

---

(1) *Appian. Civ. lib.* 1. *cap.* 646. Fecitque ſpem novis-civibus ex Italia fore ut ſuffragiorum jure æquarentur veteribus, & per tribus diſtribuantur. (2) *Id. Appian. eod. lib. pag.* 654. (3) *Id. pag.* 655. (4) *Vellej. Pat. lib.* 2. *cap.* 22. *Appian. lib.* 1. *Civ. pag.* 657. (5) *Appian. eod. lib. pag.* 671. (6) *Id. pag.* 683. (7) *Id. Appian. lib. eod. pag.* 703. (8) *Vellej. lib.* 2. *a cap.* 31. *ad* 35. *Appian. lib.* 2 *civil. initio*. (9) *Salluſt. Bell. Catilin. Appian. civ.* 2. *pag.* 711. (10) *Vellej. lib.* 2. *cap.* 35. (11) *Cic. ad Attic. lib.* 16. *ep.* 5. *Itaque dubito an Venuſiam tendam, &c.* (12) *Ex epiſtol. ejuſd. lib.* 15. (13) *Epiſt. fam. lib.* 14. *ep.* 20. de Venuſino. (14) *Ad Attic. lib.* 5. *ep.* 5. (15) *Appian. Civil. lib.* 4. *pag.* 954. Et quo alacrior redderetur exercitus, poſt propoſita victoriæ præmia, præter alia donativa promiſſæ ſunt eis coloniæ XVIII. Italicarum urbium, tam opibus, quam agri bonitate, ac ædificiorum pulcritudine præcellentium, quarum urbana, & ruſtica prædia, non ſecus, quam bello capta dividerentur. Inter has eminebant Capua, Rhegium, Venuſia, Beneventum, Nuceria, Ariminum, Vibona. Atque ita pulcerrima Italiæ pars militibus adſcripta eſt. (16) *Appian. Civ. lib.* 4. *pag.* 973. (17) *Id. lib. & loc. eod.* (18) *Vellej. & Appian. loc. cit. & pag.* 1021. *lib. eod.* (19) *Appian. Civ.* 4. *pag.* 987. *& pag.* 1036.



CA-

CAPUT V.

Tertia Romanorum Colonia a Cæſare Octaviano Venuſiam deducta.

FRACTIS Brutianis, Caſſianiſque partibus, tum demum Venuſia a C. Cæſare Octaviano Militaris Colonia Civium Romanorum deducta eſt. M. Antonius Triumvir alter in tranſmarinas Provincias jam conceſſerat, ipſeque Cæſar veteranos in Italiam reducendos, & in municipalibus agris collocandos recepit. Appianus (1) Τὴν δὲ γῆν, καὶ τὰς πόλεις αὐτοῖς διαδώσων ὁ Καῖσαρ ἀπῄει ἐς τὴν Ἰταλίαν. Quod etiam Dio Coccejanus (*) conteſtatus eſt. Τήν τε χώραν, ἣ τοῖς συστρατευσομένοις σφίσιν ὑπέσχηντο, κατανεῖμαι τοῖς ἔξω τῆς ἡλικίας αὐτῶν οὖσιν, οὓς καὶ εὐθὺς διῆκαν. Quo in munere exercendo, quum inconſulte nimis ſe gereret, neque veteranorum, neque poſſeſſorum gratiam tenuit, alteris pelli ſe, alteris non pro ſpe meritorum tractari querentibus (2).

Verum quot milites Octavianus Cæſar Venuſiam noſtram deduxerit, difficile nobis divinare eſt: erant tum quadraginta legiones, quæ per Colonias diſtribui debuerant. Appianus enim auctor eſt Triumviros R. P. C. ita inter ſe milites diviſiſſe (3) ὡς ἂν ἐς τὸν πόλεμον αὐτῶν ἑκάτερος εἴκοσιν ἄγοι. atque ideo bis centum ac quadraginta militum millia tum fuiſſe certum eſt: nam legiones ſex millia conſtitiſſe militum ex eo apparet, quod ita eas Marius ſtatuerat, neque ex Marii tempore

re unquam bello cessatum est, ut quum necessitas defecerit, antiquus numerus legionibus restitui posset, nec mihi adhucdum innotescit, bellis civilibus Romanam Rempublicam distringentibus, Marianum numerum imminutum esse, quod clarissimus Joannes Boeclerus demonstravit (4).

Ex iis militibus, quibus præmium propositum fuerat, quum plurimi ex tot bellis peractis intercidissent, tertiam quidem incolumen remansisse partem sane credendum est, quæ si æque per Colonias jam decretas distributa est, quingenti ac quatuor millia militum in Colonias singulas omnino missi sunt: non enim duodeviginti Coloniæ deductæ sunt, verum sexdecim solum: Vibonenses enim & Rhegini indulgentia C. Cæsaris Octaviani vacationem jam obtinuerant, quam iis ipse Cæsar sacramento firmaverat, dum in Brutiis commoraretur, bellum contra Pompejum gesturus. Appianus testis est, Ὁ δὲ Καῖσαρ ἐπελθὼν, Ῥηγίνοις μὲν, καὶ Ἱππωνιεῦσι μεγάλας πίστεις αὐτὸς ἔδωκεν ἐξαιρήσειν αὐτοὺς ἐκ τῶν ἐπινικίων (5).

Alter deinde bellum hæc nova agrorum divisio concitavit, quos agros Cæsar veteranis in castris pretium militiæ persolvit: veteres enim cujusque civitatis cives, cum agris domibusque exuerentur, ad Optimates Romæ confugere, ut eorum causam contra Cæsarem susciperent; cum vero omnes renuerent, L. Antonium Triumviri fratrem patronum sibi consciverunt, qui (7) τοὺς τε γεωργοὺς, ὅσοι τῆς γῆς ἀφῃροῦντο, ἱκέτας γιγνομένους τῶν δυνατῶν ἑκάστου μόνος ὑπεδέχετο, καὶ βοηθήσειν ὑπισχνεῖτο, κἀκείνων ὑπισχνουμένων ἀμυνεῖν ἐς ὃ κελεύοι. Antonius, justo statim sibi convocato exercitu, Triumvirorum po-

potestati obnoxium statim se fecit, Romanamque Rempublicam in pristinam faciem ducturum singulis ultro spopondit. De pace actum, prius quam arma consererentur: verum tamen ad pugnas deventum est, acriterque ex utraque parte pugnatum (8).

Cum autem Luciani exercitus pars ad Cæsarem deficeret, tum Lucius intra Perusiam se recepit, & quoniam Lucio sæpe Cæsar objectaret veterum Colonorum caussam ipsum suscepisse, novas res contra rempublicam moliturum, sæpe ab Antonio responsum est, ipsum non veterum civium ex propriis terris expulsorum caussam suscepisse, verum libertatem Romæ restituendi in animo ipsi semper fuisse (9). Tandem quum diu intra Perusina mœnia se continuisset, atque pro eis sæpe pugnasset, fame potius, quam bello victus, ne qui secum cives erant, etiam perderentur, Cæsari se dedit. Perusia incendio deleta, Perusinumque hoc bellum vocatum est; quod suscitarunt sexdecim Civitatum expulsi cives, quorum Patriæ Coloniæ deductæ sunt. Quod bellum a Venusinis maxima parte gestum nulli erit dubium, cum Venusiam ex iis urbibus, quibus Coloniæ deductæ sunt, omnibus majorem fuisse, certum sit. Eodem igitur anno, quo Perusinum bellum cæptum est, etiam peractum. Igitur Venusia Colonia militaris deducta est anno V. C. DCCXIII. L. Antonio, & P. Servilio Coss. (10). Nam licet statim ac Bruto Cassioque Pharsalicis campis confectis, ex eo Cæsar excessisset veteranos in Italiam ducturus, tamen valetudine gravi, & periculosa detentus, anno demum insequenti in

 Ita-

Italiam commigravit: immo hoc sibi munus Cæsar delegit *διὰ τὴν ἀῤῥωστίαν*, ut Appianus loquitur.

---

(1) *Appian. Civ.* 5. *pag.* 1073. *At Cæsar*, *& Antonius pro philippensi victoria sacris operabantur*, *& gratias agebant exercitibus: moxque ad persolvenda præmia pro fectus est imperatorum alter in Italiam*, *ut agros militibus divideret*, *ipsosque in domos ascriberet*, *hoc enim elegit propter valetudinem*. *Antonius vero &c. & pag.* 1075. Agros & civitates eis divisurus Cæsar abiit in Italiam. (*) *Dio. lib.* 48. *pag.* 528. *Edit. Amburgi.* 1750. (2) *Sveton. in Octav. cap.* 13. (3) *Appian. Civ.* 4. *pag.* 954. *Ut viginti legionibus singuli bellum gererent* (4) *De Legione Romana. cap.* 2. *extat in thesauro Grevii*. (5) *Appian. lib.* 4. *Civ. pag.* 1022. Cæsar vero superveniens ipse Rheginis, ac Vibonensibus fidem dedit sanctissimam fore ut eximerentur è numero destinatarum in victoriæ præmium. (7) *Id. lib. eod. pag.* 1087. Dum veteres agrorum possessores suppliciter ad optimates confugientes solus excipit, opem pollicens, & illis vicissim ad quidvis promittunt ei opem suam. *Appian. id. pag.* 1095., *& seq. Vellej. lib.* 2. *cap.* 74. (9) *Appian. lib. eod. pag.* 1106. *& Dio Cassius lib.* 48. (10) *Dio Cass. lib.* 48. *pag.* 529.

CAPUT VI.

De Pertica Venusina.

Agrum Venusinum omnium maxime fertilissimum, quos limites habuerit, nullus dum nos docuit, nec mihi vetusta supersunt monumenta, ut eos facile designare valeam: latissimos tamen eos fuisse facile persuadeor, cum Vul-

tu-

turem montem ipsos transegisse certum sit, Horatius enim noster ait (1),

. . . . . *sequor hunc Lucanus, an Appulus anceps.*
Nam Venusinus arat fines sub utrumque Colonus.

quod tum fieri poterat, cum ultra Vulturem Venusinis ager fuisset: compertum enim est ex Vulture Lucaniam initium duxisse. Et quidem credendum sane est, saltem per mille passus trans Vulturem Venusinis territorium fuisse; quæ si ità sint, certum quidem nobis erit Venusinum Decumanum sex & triginta constituisse passuum millibus: Vultur enim plusquam septendecim passuum millia a Venusia distat.

Compertum præterea nobis erit Decumanum maximum via Appia contineri, nam Appiæ viæ partes nunc etiam ex Occidente ad Orientem ductæ conspiciuntur, & Romanis in perticis designandis haud dubie mos fuit Decumanum maximum viis Consularibus accomodare, in quam sententiam ab Hygino adducor, qui ait [2]: "Quibusdam Coloniis Decumanum maximum ita constituerunt, uti viam Consularem transeuntem per Coloniam contineret, sicut in Campania Coloniæ Anxurnæ Decumanus maximus per viam Appiam observatur". Hoc tamen ideo magis Venusinæ Coloniæ accidisse persuadeor, nam si Decumanus maximus per viam Appiam ductus est, hoc, uti leges agrariæ docent, advenisse certum est: nam Decumanus ab Oriente ad Occidentem ducebatur, cum contra Kardo a Septentrione ad Meridiem duci solitus sit. Eaque ratione divisi,

 atque

atque adsignati sunt Canusinorum, Ausculanensium, Arpanorum, ceterorumque Apulorum agri; ut ex Frontino [3] manifestum est, qui de his omnibus Decumanum in Orientem, Kardinem vero in Meridianum ductum profert [4].

Agrum vero Venusinum in centurias quadratas ducentorum jugerum divisum fuisse mihi certum est, cum ceteros omnes Apularum Urbium agros ea ratione adsignatos Frontinus scribat, & primum de Canusino Venusino contermino [5]: „ Ager Canusinus : Iter populo non debetur in „ jugera N. CC. Item *Eberdona*, *Auscelinus*, Ar„ panus, Collatinus, Sipontinus, Salpinus, & „ qui circa Montem Garganum sunt; centuriis „ quadratis in jugera N. CC., ut lege Sempronia, „ & Julia. Cardo in Meridianum, Decimanus in „ Orientem " : De Ausculanensi agro Venusino etiam contermino, in libro qui *Nomina civitatum Apuliæ*, & *Calabriæ* inscribitur, rursus ait [6]: „ Ager Ausculinus lege Sempronia, & Julia est „ assignatus, ubi est Decimanus in Oriente, Kar„ do in Meridiano &c. in centuriis singulis juge„ ra CC ". Et de Venusino eadem certe ipse Frontinus scripsit, at nedum ejus libri, verum etiam ejus epitome temporum injuria periit [7]. Quot sane milites centuria admiserit, omnino nobis latet, cum certum sit Octavianum Cæsarem pro merito militibus Venusinum agrum distribuisse [8].

Limites Venusini agri Gracchanos fuisse Frontinus demonstrat, verum Gracchandrum limitum forma nobis omnino latet, ii equidem ab Augusteis dissimiles fuisse omnino debuere, nam sæpe Augustei, & Gracchani limites apud Frontinum di-

distinguuntur. Hi tamen limites, qui a Frontino memorantur, fuere qui intra centurias positi sunt, non vero qui Perticam terminarunt Venusinam: nam de Asculanensi contermino agro proditum ex Frontino est [9]: " Finitur per terminos, & ter„ rarum tumores: aliquibus locis arboribus ante„ missis, & viis, sed & collectione petrarum ". Quæ etiam de Venusino agro dicta sunt, est enim conterminus: igitur *termini* primum qui fuerint nobis obscurum est, scimus quidem sane cujusque colonicæ perticæ fines litteratis terminis distinctos fuisse. *Terrarum* deinde *tumores* haudquaquam intelligendi sunt tumuli, verum lapidum maceries terra obductæ. *Arbores* demum *antemissæ* non erunt sane pyri silvestres, quernæ, vel populeæ arbores, quarum regio abundat, iis enim arboribus raro pro terminis adhiberi solitæ sunt [10]. Cum Canusino agro finiebatur Venusinus viis pnblicis, & *signis*, lapidibus scilicet inscriptis.

Verum profecto quid erunt limites Gracchani? cum Frontinus de Venusino agro scribat: *Ager Venusinus cum limitibus Gracchanis unius scamni* [11]. Sciendum sane est agrariarum legum latores singulos, & eos, qui ad agros dividendos per Italiam proficiscebantur, aliquo particulari ratione usos esse in dividendis adsignandisque agris, nam alii centurias quadratas instituerunt, aliter vero alii, uti etiam in terminis statuendis, alii subruncivos fecere, scamnatos alii. Universos Apulorum agros lege Sempronia divisos fuisse Frontinus est auctor [12], eosque in centuriis quadratis jugerum N. CC. adsignatos esse certum est. Igitur quum Venusinum agrum limitibus Gracchanis divisum, atque adsigna-

gna-

gnatum fuiſſe accepimus, nil aliud profecto erit, quam Cæſarem Octavianum in dividendo adſignandoque Venuſino agro Sempronii Gracchi *ratione* uſum eſſe. Idem enim ſæpe eſt limitibus Gracchanis, ac lege Gracchana, ſive Sempronia, dum tamen de Colonia deducta ſermo non ſit. Noſtram ſententiam Siculus Flaccus firmat his verbis [13]. " Gracchanorum, & Syllanorum limi„ tationum mentio habenda eſt. In quibuſdam „ etiam regionibus, ut opinamur iiſdem lapidi„ bus, limitibus manentibus, poſt aſſignationes „ poſteriore a duce factæ ſunt ". Ita corruptiſſimum Flacci locum Goeſius reſtituit. Igitur certum eſt ſæpe Auguſtum, ceteroſque ſæpe uſos fuiſſe limitationibus, terminalibus lapidibuſque a Graccho, ceteriſque agrariarum legum latoribus deſignatis [14].

Hinc magnopere aberraſſe Campani Amphiteatri reſtitutorem nobis ſententia eſt [15], quum Capuam a L. Sulla Coloniam deductam ſcribit, quod ex Frontino ſcriptum ſit, *Calatiæ agrum lege Sullana Coloniæ Capuenſi adſcriptum*. Certum quidem eſt Sullam, ceteroſque legum latores, ſæpe quamplurimas Colonias deſignaſſe, quæ nunquam ab ipſis deductæ ſunt. Ita C. Cæſar quamplurimas Colonias decrevit, quæ poſt ejus necem Patres, ut beneficio animum Plebis vincirent, deducendas (16) curarunt, & C. ipſe Gracchus permultas Colonias deduxit, quæ jam ab aliis decretæ fuerant: ideoque quum Frontinus lege Sullana, Julia, Sempronia aliquid factum profert, haudquaquam Sullam, Julium, Semproniumque Gracchum id feciſſe ipſi ſententia eſt, verum ab aliis, qui eorum con-

consilio, legibus, & ratione usi sunt.

Quoties enim Frontinus auctorem Coloniæ demonstrare cupit, nunquam illius lege eam deductam profert, sed vide primum, de Capuana Colonia, quam Cæsar deduxit. [17] *Cæsar in jugeribus militi pro merito dividi jussit*, de Benevento, *deduxit Nero Claudius Cæsar*, de Nuceria Constantia, *Vespasianus Augustus deduxit*, de Formiis, *Triumviri sine Colonos deduxerunt*, de Colonia Sorana, *deducta jussu Cæsaris Augusti*, & alia infinita exempla ex ipsis Frontini libris huc adducere possem, verum quoniam hoc putidum esset, tu ipse Frontinum perlege.

Cum vero Nuceriæ Constantiæ Coloniæ Vespasianum ex Frontino auctorem accepimus, & ipsum limitibus Julianis, lege Augustana militibus agrum adsignasse, atque divisisse certum sit, ideo igitur Julium Cæsarem, Augustumque alias Colonias Nuceriam deduxisse, ex Frontino apparere nos adfirmabimus? haudquaquam. Scimus sane jam pridem Augustum Nuceriam Coloniam deduxisse, at Frontinus Vespasiani deductionem persequitur, quem demonstrat in Colonia Nuceria Alphaterna deducenda legibus agrariis Augusti usum esse, & Nucerino agro limites a Cæsare designatos præfixisse.

Exponendum postremo nobis est, quid sit *limes unius scamni*, quod ad Gracchi exemplum Octavianus Cæsar in agro Venusino constituit. *Scamnum agrarium* spatium terræ incultum, quod inter duos rigores itineris caussa linquebatur, fuisse, aperte eruditissimus Goesius demonstrat, quodque ab Hygino interstitium limitare appellatur.

Igi-

Igitur, cum fcamna intra centurias relicta funt, iter Populo relictum fuiffe manifeftum eft, quum quoties contra a Frontino dicitur, *iter Populo non deberi*, manifeftum omnino erit non duobus rigoribus, verum fane uno centurias inter fe diftinctas fuiffe.

De limitibus autem fciendum eft omnem longitudinem menfuræ, & recturæ rationalem limitem appellari, nec quicquam intereft, Decumanus dicatur, an limes [18]. Decumanus autem primus *maximus* appellatur, item Kardo, nam ceteris latitudine præcedebant. Erant, & alii limites actuarii, aliique linearii. Actuarius limes erat, cui proximus limes erat, & ab eo quintus quifque, qui, fi numeres cum primo, erit fextus, quoniam quinque centurias fex limites claudebant. Reliqui medii limites linearii appellabantur, vel fubruncivi. Actuarii autem extra maximos Decumanum, & Kardinem latitudinem habent pedum duodecim. Per hos iter Populo debebantur, ficut per viam publicam, ita enim cautum erat lege Sempronia, & Cornelia, & Julia [19]. Quidam ex his limitibus latiores erant duodecim pedibus, ut qui per viam publicam, five militarem acti erant: habebant enim latitudines viæ publicæ. Linearii vero limites menfuræ tantum difterminandæ cauffa conftituti erant, per quos fi finitimi iter volebant, per legem Mamiliam accipiebant; de illis vero Coloniis, in quibus lex Mamilia non obtinuerat, monet nobis Frontinus iter populo non deberi, fcilicet intra centuriarum rigores. Linearii autem limites itineri publico procedente tempore omnes fere infervierunt, appellatique funt limites fub-

run-

runcivi , iisque latitudo pedum octonum data est (20).

Ex quo nobis conjicere licet scamna agri Venusini octonum pedum latitudinem habuisse, quæ Coloniarum ductores publicaverunt fructus asportandi caussa: omnes enim possessiones pro æstimo ubertatis augustiores, angustioresque adsignatæ sunt, ideoque limites omnes non solum mensuræ, sed & publici itineris caussa latitudines accepere. Admonendum hic sane est limitum latitudines per scamna, & strigas metitos esse, qua in re diversum omnino illud scamnum erit a nostro, ut præclare eruditissimus Goesius docet (21).

Unum demum exponendum remanet, quod ex *Albensium Mappa* Frontinus, sive ejus epitomator producit his verbis: *Ager Venusinus limitibus Gracchanis binas sequutus est* (22). τὸ *binas* mendum omnino esse necessum est, quibus propemodum infinitis hæc epitome abundat, ideoque vel scriptum *vias* puto (facili litterarum mutatione); cum maximi limites per vias publicas ducti sint, quod de Decumano maximo jam demonstravimus, ac ideo agri Venusini limites juxta viarum publicarum ordinem statutos esse Mappa Albentium memorabat. Vel τὸ binas *bina* Scamna reponendum est, quoniam scilicet via, quæ inter centurias relicta erat, duplicia scamna, sive sexdecim pedum latitudinem sequuta sit, quod contrarium omnino erit iis, quæ in exponenda Provincia Apulia Frontinus jam dixerat. Certum sane erit τὸ *binas* mendum esse, cujus loco potius *vias* reponerem,

De Kardine vero Centuriationis Venusinæ ma-

 ximo,

ximo, quid ea ætate statutum fuerit, omnino nobis obscurum est: certe quidem si Venusina Colonia in perticæ meditullio constructa fuit, Kardo nullo sane pacto Decumano æquari potuit, Forentanos enim atque Acherusinos agros excessisset, qui haudquaquam intra perticam esse potuere. Verum majorem Kardinis maximi partem ad septentrionem fuisse apparet, Aufidumque flumen excessisse, terminabatur enim Asculanensi egro, qui Aufidum haudquaquam attingit (23): quæ si ita sint, nec quidem Decumanum Maximum Kardo æquari potuit, quippe quum ager Venusinus ad Meridiem trium ferme passuum milium longitudinem obtineat.

At quo deducta erunt tot militum millia, quæ Venusiam profecta sunt, ut agros colendos acciperent? Ager quidem Venusinus cultellatus omnino adsignari debuit, maxima enim parte montibus obsitus est; igitur conterminis oppidis illud accidisse credo, quod Mantuæ accidit in Cremonensis Coloniæ deductione, atque ideo Bantinos, Forentanos, Acheruntinos, ceterosque conterminos agros Venusinæ perticæ addictos fuisse, atque ex eis tot Præfecturas factas fuisse. Ceterum hos omnes, quos numeravimus agros, & Lucum ipsum Minervæ, Perticæ Venusinæ addictos fuisse, Horatius noster ostendit, qui quum de se ait puerum adhuc in Vulture dormientem, palumbes lauro & mirto coronasse, hoc mirum, fuisse subdit Bantinis, Acheruntinis, & Forentanis; at cur non etiam Venusinis scripsit suis conterraneis, de quibus primo memorari debuerat? manifestum quidem est arte Venusinos Horatium reticuisse,
nam

nam Venusini erant, qui Acheruntinos agros, Bantinos saltus, & pinguia arva Forentana colebant: nec quidem ipse gloriabatur Acheruntinos, Bantinos, & Forentanos eum admiratos esse, verum Venusinos (24).

Me fabulosæ Vulture in Appulo
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo, fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes
Texere, mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsæ nidum Acherontiæ
Saltusque Bantinos, & arvum
Pingue tenent humilis Ferenti.

Ipse præterea Horatius de Venusinis Sylvis memorat, quas quidem eas fuisse apparent, quæ circa Minervium sunt, atque ab antiquis dictæ sunt (25) Sylvæ Venusinæ.

. . . . . . sic quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinæ
Plectantur Sylvæ . . . .

Nec sane credendum est alibi Venusinas Sylvas fuisse, nam cum omnis Venusinus ager cultus fuerit, eo demum loco Sylvæ relictæ sunt, qui longior ab Urbe esset.

Igitur cum tot Præfecturæ Venusinæ Coloniæ additæ fuerint, putandum erit forte Bantiam, Acheruntiam, Forentum, Minerviumque oppida in ditionem Venusinorum concessisse, atque in ea Præfectos Juridicundo Venusinos misisse? haud-

quaquam. Hoc visum est Restitutori Campani Amphiteatri (26), qui nescio quid ex Siculo expetit, ut ejus sententiam firmet, cum Siculus apertissime de agris locutus sit, non vero de oppidis. Agri vero ideo in Coloniæ jurisdictionem concedebant, quoniam possessorum sequebantur sortem, atque hinc erat, ut agrorum, qui tantum adsignati fuerant, non vero divisi, jurisdictio penes eos remaneret, quorum antea fuerant, ut ipse Siculus Flaccus testatur (27): „ Præterea auctores as-
„ signationis divisionisque non sufficientibus agris
„ Coloniarum, quos ex vicinis terris sumpsissent,
„ assignaverunt quidem futuris civibus Colonia-
„ rum, sed jurisdictio eis agris, qui assignati
„ sunt, per eos remansit, ex quorum territorio
„ sumpti erant: quod ipsum diligenter intuendum
„ erit, & leges respiciendæ. „ Nec nobis usquedum innotuit Romanorum Colonis jurisdictionem in Jtalos tributam. Et ex ipsis Siculi Flacci verbis, quæ Restitutor Campani Amphitheatri laudat, manifestum est Præfecturas alia ex caussa dictas, quam ex Prefecto Juridicundo.

. . . .

CA-

---

(1) *Horat. Serm.* 2. *Sat.* 1. *vers.* 34. (2) *Hygin. edit. Goes. Agrar. rei Script. pag.* 163. (3) *Frontin. de Colon. edit Goesii pag.* 110. (4) *Id. Front. pag.* 126. (4) *cit. pagin.* 110. (6) *Pag.* 126. (7) *Putant enim viri eruditi librum de Coloniis, qui Frontinum præfert Auctorem, epitomen cujusdam Grammatici esse ex libro, qui a Frontino haud dubie conscriptus fuit.* (8) *Svet. in Octav. cap.* 13. (9) *Pag.* 126. (10) *Sicul. Flacc. de cond. agror. pag.* 7. *Frontin. de limit. agror. pag.* 43. (11) *Pag.* 110. (12) *Eod. loco,*

loco, & *pag*. 126. (13) *Sicul. Flacc. de cond. agror. pag* 25. (14) *Vide Goesium*. (15) *Cap.* 1. *num.* 2. *pag.* 6. (16) *Appian. Civ. lib.* 2. *pag.* 834. & *sequ.* (17) *Frontin. pag.* 103. (18) *Hygin. de limit. constit. pag.* 151. (19) *Id. Hygin. loc. cit.* (20) *Vide Goesium*. (21) *Guilielm. Goesii Antiq. Agrar. cap.* 8. (22) *Pag.* 145. (23) *Ut ex Frontino colligitur*, & *nos in fine operis demonstrabimus*. (24) *Lib.* 3. *od.* 4. *ver.* 9. (25) *Lib.* 1. *od.* 28. *vers.* 25. (26) *Cap.* 1. *auctar.* 1. *pag.* 47., & *seq.* (27) *Pag.* 25. .

CAPUT VII.

De Horatio Venusino Poeta.

CLARISSIMUM tunc temporis, quo Venusiam tertia deducta est Colonia, illuxit ingenium Q. Horatii Flacci Venusini, sine exemplo maximum, qui sapientia operum, & fulgore carminum solus appellari Lyricus Poeta meruit, in quo hoc maximum est, quod cum ante illum Pindarus jam Lyricorum princeps, quem ille imitatus est, floruisset, post illum nemo, qui Horatium imitari posset inventus est. Natus est sexto Id. Decembres (1) eo anno, quo cum P. Autronius, & P. Cornelius Sulla designati Coss. essent, L. Aurelius Cotta, & L. Manlius Torquatus tamen Consulatum inierunt, quum jampridem Autronium, & Sullam ambitus crimine damnarint. Ortus est patre libertino [2] exactionum coactore (3) vel salsamentario, ideoque vocat se *progeniem pauperum parentum* (4). Verum sua virtute adeo inclaruit, ut cum M. Brutus, occiso Cæsare,

exercitus contra Octavium, & Antonium duceret, inter Tribunos militum jam mereret (5): at subactis Bruti, Cassiique partibus, venia a Cæsare impetrata Scriptum Quæstorium sibi comparavit. Quod munus proprium illorum fuit, qui ex patre libertino nati essent, ut jampridem Viri docti ex Gellii loco demonstrarunt. Quæstorios Scribas, uti etiam Pontificios, & Ædilicios Festus docet fuisse, qui leges, atque publicas rationes in tabulis inscriberent.

Tum igitur, quum ad Cæsaris partes jam Horatius confugerat secundam prioris libri oden scripsit (6). Non diu tamen Quæstoribus Horatius paruit (quos nescio an Ærarii, vel Parricidii fuerint), nam Mœcenas, qui Horatium magnopere diligebat, Augusto ita commendavit, ut ei continuo Augustus literarum officium obtulisset. Moecenatis, & Augusti amicitiam, nedum ejus libri quaque in pagina testantur, verum etiam ejus vita; quam nesciunt Eruditi num Svetonio Tranquillo, vel alio illius ævi scriptori tribuant. Eam omnino consule, si ceteras Horatii nostri vitæ rationes scire cupias (7).

Illud sane mirum nobis omnino fuit, quod cum Horatii pater libertinus esset, Horatii sibi nomen conscivisset, quod ejus tribulis fuit, ex qua plurimi Venusiam Coloni deducti sunt, ut prædiximus, & uti ex monumentis, quæ paulo post apponentur, apparebit (8): nisi forte domini nomen consciverit, uti libertis mos fuit, at Horatiorum familiæ nullum superest monumentum, ut ipsam Venusinam fuisse adfirmari possit.

Decessit quinto Calendas Decembris Cajo Mar-

Marcio Cenſorino, & C. Aſinio Gallo Coſſ., quum jam ſeptimum, & quinquageſimum annum explevisset, hærede palam Auguſto nuncupato, quum urgente vi valetudinis non ſufficeret ad obſignandas Teſtamenti tabulas. Humatus, & conditus eſt extremis Eſquiliis juxta Mœcenatis tumulum. Natus eſt igitur Horatius tres, & viginti annos ante tertiam Venuſinæ Coloniæ deductionem, ac tres, & triginta annos poſt Coloniam deductam, quibus ſi annum deductionis addas, ſeptem, & quinquaginta annorum erit Horatii vita, quos menſe circiter exceſſit.

Corrigendum ideo omnino putamus χειρόγραφον ejus vitæ, in quo ſcriptum eſt Horatium deceſſiſſe poſt nonum, & quinquageſimum annum, cum certum ſit L. Aurelio Cotta, & L. Manlio Coſſ. ſexto Id. Dec. natum, & C. Marcio Cenſorino, & C. Aſinio Gallo Coſſ. V. Kal. Dec. defunctum, inter quos Conſulatus ſi quis, qui interſunt, enumeret annos, ſeptem, & quinquaginta inveniet (9).

---

[1] *Ea quæ de Horatio a nobis proferuntur, omnia excerpta ſunt ex ejuſdem Horatii Vita, quam Svetonius Tranquillus conſcripſit, & primum a viro Cl. Petro Nannio libro tertio miſcellaniorum edita eſt.* [2] *Ipſe Horat. Serm. lib.* 1. *Satyr.* 6. *verſ.* 45. *Epiſtol. lib.* 1. *ep.* 20. *verſ.* 20. [3] *Ead. Saty.* 6. *verſ.* 86. *ibi enim, cum de patre loquitur, ait: Si præco parvas, aut [ut fuit ipſe] coactor: Mercedes ſequerer.* [4] *Carmin. lib.* 2. *Od.* 20. *verſ.* 5. [5] *Puer a patre Romam ductus eſt, Orbiliumque Beneventanum obtinuit præceptorem. Ead. Satyr.* 6. *verſ.* 76. *Athenas deinde commigravit, ut Epiſt.* 2. *lib.* 2. *verſ.* 81. *teſtatur. Tribunus deinde Pelebis*

Phi-

Philippicis campis legioni præfuit. *Satyr. 6. verf.* 48. *lib.* 1.
[6] *Ait enim Epift.* 2. *lib.* 2. *verf.* 49.

Unde fimul primum me dimifere Philippi.
Decifis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris, & fundi : paupertas impulit audax.
Ut verfus facerem.

Auctor eft Porphyrio, Horatium ab Octaviano captum, atque Mæcenatis beneficio no dum fervatum, fed in amicitiam etiam receptum. [7] *Vide etiam eas, quas confcripferunt Petrus Crinitus, Mancinellus aliique.* [8] *Servatur Venufiæ in impluvio domus* de Pirontis *Titulus abs* Horatio Diodoro [*forte, vel* Diocle], Caji Liberto, Mitullejæ Uxori pofitus, *qui etiam a Fabretto cap. 9. num.* 272. *affertur, his verbis*

HORATI. C. L. DIO.....
MITULLEIAE U).....

Hunc fane Horatium Q. Flacci noftri avum fuiffe ex eo conjectare eft, quod ejus pater libertinus effet. Verum neque hic titulus argumento eft Horatiorum familiam Venufiæ etiam, uti Romæ fuiffe, ut nimis inepte fcripfit Januarius Grande in libro nuper edito de Nominibus &c. *pag.* 81. *nam Horatius hic Diocles libertus eft, & in tanta Venufinorum monimentorum copia, Horatiæ familiæ nec ulla faltem reperitur memoria, cum contra de Horatia Tribu.* [9] *Eufebius in Chronico eft auctor Horatium* 57. *ætatis anno deceffiffe, verum Acro* 77., *quod omnino mendofe fcriptum fuiffe puto.*

CAPUT VIII.

De magnitudine Urbis Venufinæ.

HAUD abfurdum videtur propofiti operis regulæ paucis percurrere ea, quæ a Græcis fcriptoribus de magnitudine Urbis noftræ fcripta reli-

relicta sunt, quorum sententiæ si recte conferantur, manifestum procul dubio erit præcipuam Italiæ Urbem Venusiam nostram diu extitisse. Et quidem sane Dionysius Romanarum rerum diligens investigator, quum de Postumii Consulis expeditione, atque de rebus ab eo feliciter contra Samnites gestis, loquitur, quæ actæ sunt anno ab U. C. CDLXI., tum Venusiam nostram πολυάνθρωπον fuisse testatur (1), quod haudquaquam fieri poterat, ni omnium etiam Samnitum in Apulia caput tum temporis fuisset: atque hoc etiam ex eo demonstratur, quod Cominio primum, & deinde Venusia a Romanis capta, parvæ remanserunt Samnitici belli reliquiæ. Et quidem mirum omnino est, quod quum Dionysius tot Urbes memoret, Venusiam nostram solum πολυάνθρωπον fuisse dicat, quod eo magis intuendum est, quoniam tum temporis felicissima illa Italiæ ora innumeris fere abundaret gentibus, adeo ut bellum omnium difficillimum una cum Samnitibus posset tamdiu Romanis inferre.

Colonia Romanorum belli Samnitici tempore Venusiam deducta, nedum Urbis nostræ magnitudinem imminuit, quin etiam novo ædificio magnopere adauxit. Atque eo statu diu perdurasse Polybius, atque Livius primum testantur, qui Consulem Varronem profugum ideo intra Venusina mœnia se recepisse scribunt (2), quoniam in ea Urbe neque Pœnorum victor exercitus, neque Africa tota Romanorum Consuli detrimento esse poterant. Neque ab hac magnitudine posthac cessavit; nam quum belli civilis exarserunt initia, quæ a Sociali bello sequuta sunt, ad illud ma-

gnitudinis, frequentiæque fastigium devenerat, ut Græci omnes Romanarum rerum scriptores ἀξιόλογον eam κατ᾽ ἐξοχὴν appellaverint; quod quidem ex Appiano, & Diodoro Siculo certum est, quorum postremus, dum Metellum contra Socios Italici nominis bellum agentem memorat, ait, καὶ Μέτελλος κατὰ τὴν Ἀπουλίαν τὴν Οὐενουσίων πόλιν ἀξιόλογον οὖσαν, καὶ στρατιώτας πολλοὺς ἔχουσαν, ἐξεπολιόρκησε κατὰ χειρὸν τὸν αὐτὸν, καὶ πλείους τῶν τρισχιλίων αἰχμαλώτους εἷλεν (3). Ex quibus verbis manifestum primum est nimis celebrem Venusiam urbem fuisse, ut merita sit κατ᾽ ἐξοχὴν ἀξιόλογον appellari, quod nullatenus fieri poterat, ni ejus magnitudo tanta evasisset, ut inter primores Italiæ Urbes jam pridem adcensita esset.

Verum ex Diodori verbis Venusinorum etiam in bellis potentiam haud parvam fuisse manifeste apparet, quippe postea quam Metellus Urbem jam expugnaverat, ex Venusinis militibus ter mille vivos cepit, quum jam ante quamplurimos profligarat. Et sane certum est pactionibus potius, quam armis Venusinos a Metello expugnatos fuisse, ipsi enim statim in Romanorum jura consciti sunt, quod maxima eorum opera, & bello demum expetiverant. Venusia in Romanorum fidem recepta, bellum Sociale pene omne extinctum est, cum hæc potissima belli arx a Sociis defecisset.

Neque me Appianus fugit, qui de designatione Coloniarum a Triumviris facta, ait (4) præcipuas Italiæ urbes, quæ florentissimam Italiæ partem constituebant, delectas fuisse, ut militum coloniæ eo deducerentur, quas inter præcipue

cipue Venusia adnumerata est, quæ quum agrorum bonitate, ædificiorumque præstantia ceteris *μεγίσταις* Italiæ urbibus polleret, merito ipsa etiam *Italicarum urbium maxima* ab Appiano dici meruit, & a Triumviris precipue Colonia delecta sit. Vide igitur quanta ipsa evasura erit nova Coloniæ militaris deductione: atque ex eo evenit, ut progrediente ætate Strabo, quum universas Apuliæ, & Samnii Urbes (4) Romanorum propitio fato succubuisse videret, de Venusia nostra testatus sit ipsam admodum bene se habere, atque ideo deinceps *ἀξιόλογον* urbem etiam suis temporibus fuisse affirmat (5).

Verum usque dum hæc *πείσταοις* perduraverit, postremo libro a nobis aperietur, nunc tantum adnotare juvabit antiquæ Urbis rudera adeo ingentia esse, ut octonum ferme mille passuum circuitu Urbem comprehensam fuisse ostendant. Visuntur præterea per Venusinum agrum frequentes villicorum *κατοικιῶν*, villarumque reliquiæ, quæ Venusinorum magnitudinem, atque potentiam evidenter ostendunt; eaque de caussa Venusia nostra a Scaligero viro clarissimo cum Roma ipsa comparari meruit (6) his verbis.

Parva quidem, atque humilis pene, & sine nomine Tellus
Aut par aut maior te tibi Roma fui.
Cæde furis, peperi tranquillum ego lenis Olorem
Cujus ope ad multos vita perennis eat.
Cujus ope effectum est, ut quæ ruitura fuisti,
Vel nunc, cum nihil es, tu quoque viva voles.

[1] *Dionys. Halic. excerpt. de legat. priore libro hujus operis adduct.* [2] *Polyb. lib. 3. pag. 370. Liv. loc. sup. cit.* [3] *Diodor. ex lib. 37.* Et Metellus in Apuliam Venusiam urbem celebrem existentem, & milites multos habentem, expugnavit, & eadem occasione plusquam tremille captivorum cepit. [4] *lib. 5. pag. 383. edition. Amstelæd. anni* 1707. [5] *lib. 6. pag. 390.* (6) *Jul. Cæsar. Scaliger. Poëmata edition.* In Bibliopolio Commeliniano anno 1600. *pag.* 568.

CAPUT IX.

De Sacris Venusinorum.

Venusinis (quum jam triplici Coloniæ deductione Romani pene omnes facti essent) eadem omnino Sacrorum ratio fuit, ac ipsis Romanis, quam quidem prisca Venusinorum, quæ nunc supersunt monumenta omnino redolent : ideoque quum Deorum, Dearumque ipsorum monumenta exponenda nobis sint, brevi de iis nostram sententiam aperiemus, quum de Diis Romanorum tanta ab erudissimis viris dicta, exarataque sint, ut jam quum de eis aliquid scribatur, legentium omnium ora continuo fastidiant. Et sane quidem *Mercurii* primum *Invicti* titulus nobis occurrit ab *Agaride Acte pro salute Præsentis* (*nostri*) positus his verbis (1).

MER-

MERCVR. INVIC. SACR.
PRO SALVTE
PRAESENTIS
N̄
AGARIS ACTE

Perſarum etiam Deum Mithram a Venuſinis cultum fuiſſe, græca hæc ἐπιγραφὴ demonſtrat.(2)

ΗΛΙϢ	*Soli*
ΜΙΘΡΑ	*Mithræ*
ΥΠΕΡ CϢΤΗΡΙΑC	*pro ſalute*
ΒΡΗΠΟΥ ΠΡΑΙ	*Præſentis*
CΕΝΤΟC	*Brepi f.*
CΑΓΑΡΙC ΟΙΚΟ	*Conjugis Agaris di-*
ΝΟΜΟC	*ſpenſatrix*

Vide nunc eadem Agaris Helium Mithram deprecatur pro ſalute Præſentis ſui, qui ſibi conjugem fuiſſe græca hæc ἐπιγραφὴ demonſtrat τὸ enim C ſexto verſu σύμπιου omnino legendum eſt. Illud ſane nobis mirum videtur, quod cum Mercurio latinam ἐπιγραφὴν poſuiſſet, Mithræ contra grece titulum inſcripſiſſet. Vereor ne quum nuper ex Aſia hic Deus in Italiam adventaſſet, ipſi & orgia græce illis temporibus ſervata fuiſſe, quum Græci Italis hunc Deum mutuati ſint. Et quidem grece plerumque Mithræ tituli poſiti ſunt, qua de re Reineſium conſule inſcriptionum antiquarum theſauro. Auguſti ſane ævo, vel paulo ante Mithram a Romanis adorari cœptum, ejuſque cultum Antoninis imperantibus magnopere auctum fuiſse, nemo ignorat. Mithræ itaque nomine Solem Per-

Persas adorasse certum est, ejusque simulachrum perenni igne ræpresentatum in *πυραιθείοις*, vel *πυρείοις* adservabatur (3). Romani vero, ceterique, qui Mithram ex Persis mutuati sunt, ei Solis nomen adjecere, quippe cum Sol Mithræ *σύνθρονος*, *σύνναος*, vel *σύμβωμος* esset: ejus sane imaginem, vel Leonis aspectu (4), vel juvenis bovi adstantis, bovemque mactantis, multis additis planetarum signis, cum vipera, & Juvenculo facem gestante, corvo insuper addito, ræpresentatam fuisse constat. Ex ejus quidem simulacris nimis raro vel Corvus, vel Solis, vel Lunæ signum absuit (5).

Innumera pene sunt, quæ de Mithra Deo, ejusque sacris abs *Christianis* Scriptoribus tradita sunt, quæ vereor magis, atque magis ne eorum commenta fuerint. Ex iis tamen Nonnus audire est, qui Mithram majorum gentium Deum fuisse narrat (6) his verbis.

Βῆλος ἐπ' Εὐφρήταο, Λιβὺς κεκλημένος Ἄμμων,
Ἆπις ἔφυς Νειλῷος, Ἄραψ Χρόνος, Ἀσσύριος Ζεὺς,
Ἤτε Σέραπις ἔφυς Αἰγύπτιος, ἀννέφελος Ζεὺς,
Εἶ Χρόνος, εἶ Φαέθων πολυώνυμος, εἴτε σὺ Μίθρας

Ceterum Mithræ, sive Solis sacerdotes in Italia, ceterisque regionibus fœminas, hominesque fuisse nulli dubium est, quum contra apud Persas Mithræ sacerdotium viri solum obtinerent (7). Igitur in *σπηλαίῳ*, præter hominum, erat etiam, & mulierum sacerdotum collegium, ex quibus unam *οἰκονομὴν* sive *dispensatricem* fuisse ex nostro lapide omnino evincitur, cujus officium procul dubio fuit templi divitias administrare, atque de iis rationem ferre: *οἰκονόμοι* enim dicti sunt etiam reges, qui rerum publicarum curam, & rationem ges-

gessere, ut Aristoteles auctor est (8) ἔτω γὰρ ἂν τὶς δοιικῶν, οἰκονόμος ἀλλ' ὁ τύραννος εἶδὲ δόξει. Et D. Paullus (9) πρὸς Ῥωμαιῶν. Ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἔραστος ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως, καὶ Κύαρτος ὁ ἀδελφός. Neque nunc primum fœminæ Sacerdotes in Romanorum sacris apparent, nam fuerunt & antea Flaminii, & Flaminiæ, Camilli, & Camillæ, & Salii etiam Saliares Virgines habuere, immo Bonæ Matris sacra a fœminis solum peragebantur, & Bacchi orgia celebrabantur a maribus fœminis junctis.

Qui vero Mithræ orgiis initiabantur, sive mares, sive fœminæ essent hæc peragere debuerant, quæ a Niceta ordine narrantur (10). Οὐδεὶς δύναται τὰς τὰ Μίθρου τελετὰς τελεσθῆναι, εἰ μὴ διὰ πασῶν τῶν κολάσεων παρέλθοι, καὶ δεῖξαι ἑαυτόν τινα ἀπαθῆ καὶ ὅσιον. λέγεται δὲ ὀγδοήκοντα εἶναι κολάσεις ἃς κατὰ βαθμὸν δεῖ τὸν τελούμενον διελθεῖν. πρῶτον τὰς ἐλαφροτέρας, εἶτα τὰς δραστικωτέρας, καὶ εἶτα ὅπως μετὰ τὸ παρελθεῖν διὰ πασῶν τῶν κολάσεων τότε τελεῖται ὁ τελούμενος. διὰ κρύους, διὰ πείνης, διὰ δίψης, δι' ὁδοιπορίας δεῖ παρελθεῖν, καὶ τὰς λοιπάς. & deinceps. τοῦτο μάλιστα παρὰ τοῖς Χαλδαίοις τελεταὶ γίνονται. πρότερον τὰς ἐλαφροτέρας κολάσεις κατὰ βαθμὸν κατελάμβανον. πρότερον ἐλίμοττον αὐτὰς ἐπὶ ἡμέρας ν, εἶτα εἰς χιόνα εἴκοσι ἡμέρας. Verum qui de Mithræ sacris plura audire cupit, adeat quos ima pagina anotavimus clarissimos scriptores (11).

Alter Venusiæ titulus extat *Laribus Augusti* positus abs *Gajo Avittio Epaphrodito Augustalium Magistro*. Augustorum quidem Lares nedum abs tota Italia, verum ab exteris etiam gentibus innumera vota illis difficillimis temporibus, verum statuas, ædes, & templa etiam recepere. Cujusnam vero Augusti Lares, qui in nostro lapide memorantur, fuissent, ego divinare non ausim: verum si ex lapidis, litterarumque elegantia argumen-

mentare licet ; omnino Tiberii Augusti ætatem hic lapis sapit (12).

. . . . . ARIB. AVG
G. AVITTIVS
EPAPHRODITV
MAG. AVG

Augustalium sane Collegium Venusiam fuisse, nedum ex hoc lapide, verum etiam ex iis, qui deinceps proferentur, manifeste apparet. Augustales porro omnino Sacerdotes fuisse, præter innumera quidem alia argumenta, Tacitus nobis suadet, qui post Augusti mortem (13) Sexto Pompejo, & Sexto Apulejo Coss. ait „. Idem annus novas cæ„ remonias accepit, addito sodalium Augusta„ lium Sacerdotio, ut quondam T. Tatius reti„ nendis Sabinorum sacris, sodales Titios insti„ tuerat sorte ducti e primoribus Civitatis unus, „ & viginti „. Et noster lapis, qui Epaphroditum Magistrum Augustalium habet, Venusinos Augustales Sacerdotes fuisse omnino demonstrat, collegia enim solum, Collegii Magistrum obtinuere: & collegia quidem, vel Sacerdotum, vel artificum fuere; ceterum hac de re Fabrettum vide (14), qui Reinesii sententiæ quamplurima contraria argumenta exhibet.

Bandusiam demum etiam Venusinorum Deam fuisse, ex eo conjiciendum est, quod fontem ei sacrum Venusini habuerint, de quo Horatius hæc habet (15).

O fons

O fons Bandusiæ ſplendidior vitro,
Dulci digne mero, non ſine floribus
Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem, & prælia deſtinat
Fruſtra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro ſanguine rivos
Laſcivi ſoboles gregis.
Te flagrantis atrox ora caniculæ
Neſcit tangere; tu frigus amabile
Feſſis vomere tauris
Præbes, & pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impoſitam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphæ deſiliunt tuæ.

Acro, ceterique Gramatici Sabinis hunc fontem adſcripſere, verum ex privilegiis Bantinæ Eccleſiæ Eminentiſſimo Enrico Enriquez [cui ecquando ſimilem habebimus civem, cum nimis immature nobis orcus abripuit?] delata ſunt, manifeſte arguitur eundem fuiſſe, qui prope DD. Gervaſii, & Protaſii ædes nunc eſt, atque a Venuſia quingentum, & quinque millia paſſum *Palatium* verſus diſtat: & quidem ſane pecus vagum, & feſſi vomere tauri Apuliæ potius, quam Sabinorum locis reſpondent (16).

Duo nunc ſuperſunt Pratilli lapides, quos Venuſiæ quidem ſe inveniſſe narrat, verum maximopere vereor, ne ipſe has ἐπιγραφὰς averſa parte tituli Auli Cornelii Conlatini invenerit (17). Priorem enim, quam ad D. Benedicti ædes adſta-

re testatur, neque ego terque, quaterque ædes vestigans inveni, neque Virginum Antistita, quæ proximo anno ex nobili Altruda gente erat, quum susque, deque internas ædis partes diligenter scrutaretur, Pratilli lapidem ullo pacto inveniire potuit, neque ipse vigilantissimus Venusinorum Pontifex Maximus Josephus Justus, quem sibi Musæ heroem præfecere, maxima adhibita diligentia Pratillani lapidis notitiam assequi potuit. Quo vero tot testes, quum ipsa ἐπιγραφὴ suæ falsitatis argumenta demonstrat; ita enim se habet.

FORTVNAE
SALVTARI
C. IVLI. CAESARIS
DICT. PERP. P. P.
PRO VOTO
VENVSIA

Cæsar *perpetuus dictator* vocatur, odiosissima Romanis, Italicisque nomenclatione, qua nunquam quidem Cæsar usus est, ipse enim nunquam S. C. dictator perpetuus creatus est, verum quoque anno dictator est factus, uti & quoque anno in Comitiis Consul. Et sane quidem Colotianum, & Capitolinum lapides antestor, ex quibus nunquam Cæsari *dictatoris perpetui* nomen fuisse manifestum est; qua de re etiam Cæsaris nummi argumento sunt, in quibus legitur C. CAESAR DICTATOR = CAESAR DICT ITER. = CAESAR DICT TERT = DICT QUART igitur perpetuam dictaturam, licet revera recepisset, tamen S. C. nunquam adeptus est, ut fastis, & publicis monu-

monumentis ea consignari potuerit: & nummi, qui *perpetuam* Cæsaris *dictaturam* habent, posterioris sunt ævi, quippe cum posterioribus abs Imperatoribus in Cæsaris memoriam obsignati, ut jam Occo, Biragus, aliique observarunt.

Alteram Pratillus ἐπιγραφὴν omnino ipse confecit, cum nostram tertio loco recitatam in Ægyptii schedis vidisset; neque enim ego, neque Venusini honestissimi cives invenire potuimus: ceterum sic eam Pratillus exhibet.

LARIB. AVG
C. AVITTIVS C. F.
PRO REDITV....
IMP. AVG. CAE. . . .
C. FIL. P. P. . . . .

Hæc de Venusinorum sacris ex priscis monimentis, quæ adhuc supersunt; de eorum Pontificibus libro priore memoravimus: nunc vero Opificum Gladiatorumque collegia recensebimus.

(1) *Extat in domo gentis Rapollæ, ex qua Justinus Cathedralis Ecclesiae Canonicus paucis ab hinc annis defunctus est. Prima linea literarum apices excidere: & quarta linea* τὸ N̄ nostri *denotat*. (2) *Græcam hanc inscriptionem primum ipsi descripsimus, quam Januarius Grande in libro* de Nominibus *adduxit, quum ipsi copiam nos fecerimus. Relatum*

tum tamen nobis est hanc ἐπιγραφὴν descripsisse etiam vitam Cl. Matthaeum Aegyptium, nos tamen nullo quidem pacto ejus MSS. nancisci potuimus. Inscriptio in basi extat quatuor ferme palmorum altitudinis, ad versuram domus gentis Vitalianæ, quam domum diu gens de Bagnuoli tenuit. (3) Euseb. præp. evan. lib. 4. cap. 16. (4) Lactant. in Theb. Statii. Damascius in vita Isidori apud Photium. Prophyr. lib. 4. Atque ex eo factum, ut Mithræ orgia Leontica vocarentur, ejusque fœminæ Sacerdotes Λεαίναι dicerentur, cum mares jam Λέοντες dicti fiant. (5) Vide dissert. Antonii Van. Dale. (6) Nonnus in Dionysiacis pag. 684.

Es Belus apud Eufratem, Ammon diceris in Lybia
Apis apud Nilum, Saturnus Arabs, Jupiter Assyrius,
Ægyptius Seraphis, Jupiter nebulas discutiens.
Saturnus, Phæton multi nominis Mithra.

(7) Vide Hist. Pref. & ceteros, quos num. 11. adnotabimus scriptores. (8) Polit. 5. cap. 11. (9) Cap. 16. 23. Atque ex eo Christianorum Oeconomi facti sunt, qui nempe Ecclesiasticas res dispensare consueverint, quorum munus Archidiaconi aliquando tenuere. Vide Gotofred. ad Cod. Theod. de bon. clericor. l. 3. Cod. Theod. de his qui ad Ecclef. confug. & Justinian. Cod. l. 14. de Sacrof. Eccles. l. 33. §. 4. de Episc. & Cleric. (10) Niceta ad Stelicut. Natian. Nemo potest Mithræ sacrificia perficere, nisi per omne pœnarum genus pertransierit, & ostenderit se ipsum passionis carentem, & sanctum esse. Dicitur vero octoginta esse pœnas, per quas gradatim oportet Sacerdotem transire primum mitiores, deinde graviores, ac demum omnibus prætergressis poenis, tum initiatus fit Sacerdos, per frigus, per famem, per sitim, per longum iter, oportet transire, & reliqua..... Hoc modo maxime a Chaldæis Sacerdotes fiunt; primum mitiores pœnas gradatim accipiebant, esuriebant enim primum per 50 dies, deinde in nivem per viginti dies morabant. (11) Quintinus. Scol. in Tertull. de præscr. advers. heret. c. 40. Lilius Gyrald. Hist. Deor. Syntag. 7. Capaccius Hist. Neap. cap. 14. lib. 1. Selden. de diis Syris Synt. 1. cap. 6. Vossius. de orig., & progress. Idol. lib. 2. cap. 9. Salmas. ad Hist. Aug. fere. Guther. de Vet. Jur. Pontif. lib. 1. cap. 25. Bulenger. de Mag. lic. & vet. lib. 1. cap. 4. 5. & 6. Reinef. Inscript. Cl. 1. n. 48. Et nuper Philippus a Turre Hadriæ Venetiæ Episcopus. (12) Extat in domo gentis Constantiæ ad plateam parvam. (13) Tacit. Annal. lib.

1. cap.

1. cap. 54. (14) *Inscript. antiq. cap. 5. num. 307., aliosque anteced.* (15) *lib. 3. od. 13.* (16) *Bantinæ Ecclesiæ privilegium communicavit mihi vir amicissimus, humanioribusque literis eruditus Johannes Santoro Vibinas.* (17) *Pratilli verba, & Lapidem omnino hic adducere oportet, ut quanta ipsi fides habenda sit cognoscatur. Via Appia lib. 4. cap. 5. pag. 467. ait „ Fuori di Carbonara circa cento passi a sinistra „ nella via, che conduce verso l' Ofanto trovasi un assai no- „ bil marmo scoverto nell' anno 1734 in un terreno della Chie- „ sa maggiore, in cui leggesi.*

MEMORIAE AETERNAE
A. CORNELI A. F. COLLATINI
PRAEF. AERAR. S. ET LEG.
IV. ADIVTRIC. AEDIL. QQ.
PRIMO FETIALI ADLECTO
SEX CLODIA CAECILIA
VXOR. PIENTISS. FECIT
XIII. KAL. AVGVST.
L. POSTVMIO Q. OPIMIO COS
QVA DIE POPVLO EPVLVM DEDIT

„ Appartengono questi consoli agli anni 600. di Roma „ Verum ipse in inscriptione conficienda non adverterat Augusti Mensem tum temporis Sextilem appellatum fuisse, & Augusti demum ævo nomen immutasse. Venusinos vero lapides ad Divi Benedicti Ædes adstare testatur.

C A P U T X.

De opificum, gladiatorumque Venusinorum collegiis, deque amphitheatro, & Capitolio Venusino.

ACCIPE nunc Venusinæ magnitudinis aliud documentum, præter enim Sacerdotum collegia, quæ jam recensuimus, opificum Aquariorum etiam

etiam collegium Venusiæ fuisse certum est ex Titulo *Sexto Peduceo Faceto* posito, his verbis (1).

D. M. *sic*
COLLEGIVS. A
QVARIORVM
SEX. PEDVCEO
FACETO
SODALES POS



Aquariorum familiam Romæ primum ex servis instituisse M. Vipsanium Agrippam Frontinus est auctor (2), quæ, quum postea Cæsari donata esset, & ab eodem publicata, *publica* est dicta. Eaque de caussa alteram Aquariorum familiam Claudius Cæsar instituit, quæ ad publicæ familiæ similitudinem *Villicos* etiam, *Castellarios*, *Curatores*, *Silicarios*, *Tectores*, aliosque opifices habuit. Publicæ vero solum familiæ commoda ex Ærario debebantur, non item Cæsaris familiæ, quæ ex Fisco commoda accipiebat (3).

Publicæ itaque Romæ Aquariorum familiæ simile omnino fuit Venusinum Aquariorum Collegium, quod num ex servis prima institutione constitisset, mihi adhac incompertum est, nec quidem servos collegium instituere posse videtur, & Sex. Peduceum Facetum liberum omnino fuisse evidens est. Illud mihi etiam dubium incessit, num Aquarum Curatores Aquariorum etiam Collegio præessent, qui uti Romæ, per Italiæ etiam Urbes ex præcipuis Civitatis viris deligi soliti sunt.

ſunt. Idque ex hac ἐπιγραφῇ, quam mihi nuper exfoſſam tradidit (4) amicus.

C. MINVCIVS. C. F. FAL. THERMVS. PR. IIVIR
BIS. AQVAE. CVRATOR. Q. II. QVINQ. SIBI. ET
C. MINVCIO. Q. F. FAL. PATRI
PONTIAE. P. F. MATRI
DECIMIAE. MAXSIMAE. VXORI
MINVCIAE. VICANAE. LIB

Quod quidem ex Venuſinis monumentis nullo pacto divinare eſt. Ceterum Aquariorum Collegiis Librarios, Rationumque Tabularios fuiſſe Puteolana ἐπιγραφὴ a diligentiſſimo viro Jacobo Martorellio deſcripta, atque mihi comunicata demonſtrat.

D. M.
T. FL. VERO
LIB. TAB. RAT
AQVARIOR
COIVCI. BENE
MERENTI
OCTAVIA. THE
TIS. FECIT

Hujus inſcriptionis αὐτογράφον Exteris nuper divenditum eſt. Latet nos porro Aquariorum Venuſinorum numerus, qui haud parum quidem eſſe debuit, præſtantiſſimus enim Venuſinus Aquæductus a Romanis Colonis tunc temporis extructus, qui adhuc dum Venuſinis uberem aquæ copiam miniſtrat, tot ſalientes aquæ, tot caſtella,

ma-

maximo quidem Aquariorum numero indigebant, quorum officia, si quis noscere aveat Frontinum adeat. Illud postremo nobis adnotare liceat, quod nunc primum ex Venusina ἐπιγραφῇ Aquarios collegia habuisse apparet.

Aliud Venusinæ magnificentiæ argumentum Venusini Amphitheatri rudera præbent, quæ prope D.Augustini Ædes cernere est. Hujus formam ovalem fuisse, rudera adhuc dum testantur, quæ his annis proximis barbaras ipsorum Venusinorum manus experta sunt, cum jampridem *Benedictini Monachi* in extruendo Divæ Trinitati templo magnificum opus discerpserint. Duæ tum ex eo translatæ fuerunt Gladiatorum inscriptiones, quæ etiam dum in D.Trinitatis templo adservantur. Harum prior est (5).

. . . . AMILIA. GLADIA . . . . . .
SALVI CAPITONIS A. . . . . . .
HIC SITA
EQ
MANDATVS RAB. III. >. II.
TR.
SECVNDVS. POMP. II. >. II
C. MASONIVS VII. >. IIII
HILEROS. DOM. XII. >. XI
OPTATVS SALVI T
C. ALFIDIVS T
M
C. LEP. PIVS T
IVLIVS T
. . . . T
. . . .

Fa*i*

Familia gladiatorum Salvii Capitonis hic sita. Hunc Capitonem Laniſtam fuiſſe manifeſtum eſt, Laniſtæ enim Tironum greges coëmebant, quos gladiatoria arte inſtruebant, qua de cauſa ipſi laniſtæ *patresfamiliæ* dicti ſunt, & juvenum grex, *gladiatorum familia* (6).

Eques Mandatus. *Rabiria* III. Ↄ. II. *Threces* Compertum ſane eſt gladiatoriam artem a ſervis incoatam, ad Senatores demum deveniſſe (7). Verum hic Oedipo mihi opus eſt, num Mandatus eques ex Salvio Capitone auctoramentum recepiſſet, quod ſane feciſſe non perſuadeor, nemo enim publico equo donari poterat, niſi CD. H-S ipſi eſſent. At cur in Capitonis familia adcenſetur, quam ſervi, & auctorati conſtituebant? Rurſus Oedipo ægeo in divinandis notis III. Ↄ. II. quæ quum & in altera inſcriptione mox proferenda rurſus videantur, conjectandi cauſam dederunt, num gladiatorum familiæ in centurias, & decurias diviſæ eſſent, cum prior nota centuriam, altera decuriam denotaret, verum cum hujuſce diviſionis nulla extet memoria, ideo *Mandatum equitem* prius militem fuiſſe putamus, quum prior nota Legionem denotet, poſterior centuriam, ac deinde gladiatoriæ arti inter TReces (qui ſine aſpiratione hic ſcribuntur) nomen dediſſe facile credendum eſt.

Optatus Salvius, *Tiro* dicitur, Gladiatores enim ad inſtar militum Tirones, & Veterani inſcribebantur. *C. Alfidius* qui etiam dicitur Tiro Myrmillionem fuiſſe τὸ M. demonſtrat. Altera vero inſcriptio ſic ſe habet (8).

. . . .

OCLANVS. M. L. I. T
DORVS. PIS. VI. Ↄ IIII. L
VEL.
MYCTER. OFIL. TI.
OPL.
PHAEDER. AVIL. T
THR.
DONATVS. NER. XII. Ↄ VIII
HILARIO. ARR. VII. Ↄ VI.
AQVILA. PIS. XII. Ↄ VII
QVARTIO MVNIL. I.
C. PERIERNIVS. T
MVR.
AMICVS. MVNIL. I.
Q. FABIVS. V. Ↄ III
ELEVTER. MVN. I.
C. MEMMIVS. III. Ↄ. II
P. ANTEROS. MVNIL. II
ATLANS. DON. IIII. Ↄ I
INCLVTVS. ARR. V. Ↄ II
SAM.
STRABO. DON. III. Ↄ III
RET.
C. CLODIVS II
SCISSO
M. CALCILIVS T
GAILV
Q. GRANIVS T

. . . .

Prima linea forte legendum est *Miles Legionis primæ*, lineaque secunda *VI. Legionis Centuriæ*

riæ quartæ, hos enim, qui modo Gladiatores sunt, milites antea fuisse haud absurdum est, atque honoris causa militiam, qua functi sunt, hic apposuisse, ideoque tertio versu VELitem legendum putamus. Gladiatorum nomina, quæ hic occurrunt sunt Hoplomachi, qui OPL. describuntur, THReces, MVRmilliones, sive Myrmilliones, SAMnites, RETiarii, de quibus Lipsium in Saturnalium libris vide (9). De Scissoris voce diu anceps fuimus, num Gladiatorum genus aliud demonstraret, quum autem Lipsio Scissores non notescunt, ideo Clodii cognomen censemus. Verum tenebras nobis offundunt voces ARR. AVIL. DON. MVNIL. NER. OFIL. & PIS. quæ si hominum sunt nomina, haud dubie, Arrenus legenda sunt Avilius, Donus, Munilielius, Nertes, Ofillius, & Pisidamus, jam dudum servorum, militumque cognita nomina. Verum si Urbium sunt nomina, uti milites suis titulis inscribere consuevere, præter Pisas & Aretium, alia unde petam nescio. Ceterum de gladiatoribus omnino Lipsium consule, qui omnia, quæ de iis dici possint, jam pridem occupavit.

Medicos etiam, licet liberalis artis professores, hic adnectere liceat, (10).

Q. BAEBIO. > L. CLAD
MEDICO
VCILIA M. L. EXPECTATA
POSVIT

His Unguentarii addendi sunt, eorum enim memorat Venusina ἐπιγραφὴ his verbis (11).

CLAVDIO
C. L. PHILAR
GYRO. VN
GENTARIO
ISQVE. FAMI
LIAM. SVAM
MANVMISIT
PECVNIAMQ

primam lineam ex Grutero reſtituimus (12), & vereor ne ipſe τὸ C. L. *Claudium* fecerit, quum manifeſte ſit *Caii Liberto*. Pighius poſtremo addit *legavit*, verum omnino hanc vocem in lapide non fuiſſe certum eſt, quum nullum fracturæ ſignum appareat.

Ac demum, Capitolium Venuſiæ etiam fuiſſe, facile credendum puto, quum procul dubio conſtet, præcipuas Italiæ Urbes Arces habuiſſe, Capitolia ſæpe ſæpius dicta, ut de Capua, & Benevento ante omnium certum eſt: quum vero de Venuſina Arce ſæpius memoravimus, Capitolium ipſam etiam appellatam, haud difficile eſt. CA-

---

(1) *Extat prope portam urbis: deſcripſit etiam Egyptius.* (2) *Frontin. de aquæductibus. lib. 2.* (3) *Idem, Front. eod. loco.* (4) *Vide hujus libri poſtremam paginam.* (5) *Extat in templo D. Trinitatis in epyſtilio verſus Vineam. Edidit etiam Fabrettus Cap. 1.* (6) *Cæſar Civil. lib. 3. cap. 5. Senec. de Benef. lib. 6. cap. 12. Sveton. in Jul. 10. in Aug. cap. 42. in Caligul. cap. 26. in Domit. cap. 10.* (7) *Lipſius Saturn. lib. 2. cap. 3.* [8] *Extat eodem templo D. Trinitatis, priori proxima.* (9) *Juſt. Lipſ. Saturn. lib. 2. cap. 7.* (10) *Extat in æde D. Mariæ Montis-albi, prope portam.* (11) *Extat ad Turrim Campanariam Cathedralis Eccleſiæ.* (12) *verum Gruterus templo Annunciatæ exhibet pag. 636. num. 9.*

CAPUT XI.

Venusinorum prisca Monumenta.

COgunt nunc excedere propositi formam operis Venusinorum prisca monumenta, quæ in exponendis eorum historiis nullum pene nobis suppeditant adjumentum, quum omnia fere sepulchralia sint. Nec equidem alio loco ea reponenda ratus sum, quum Augusti ferme sæculo ipsorum pleraque erecta videantur. Duo tamen præstantissima primo occurrunt, quorum prior longe Augusti ætatem antecellere videtur, antiquo enim more scriptum est: Dolet sane maximam lapidis partem defecisse, qua de causa reliquæ hujus ἐπιγραφῆς sententiam nullo pacto assequi valemus (1).

. . . .
. . . EI· SEI· LEGIS· NE· VITVPERES
. . . VS· L· F· PRAECO
. . . OS· AETERNVM HOC SIBE
. . . ESSE· QVOD· NATVRA TRA . . .
. . . REBVS· CV· AMECEIS· SVIS . . .
. . . . . OS· VTARVS· VALE

Monimentum alter omnino Augusti ætate erectum est, memorat enim de vigesima hæreditaria, quam Augustus anno V. C. DCCLIX. M. Aimilio, & L. Arruntio Coss. indixit (2) At-

que

que ex eo monumento manifestum est, Minatiam, Caij filiam, Manliolam (forte) extraneos hæredes instituisse, quos quoniam integro legato onerare cupiebat, prohibuit, ne vigesimæ hæreditariæ partem ex legato CCL. M. H-S Colonis Coloniæ Venusinæ facto detraherent: sic enim ἐπιγραφὴ se habet (3).

MINATIAE
C. F. M. . . . . . LAE
HE . . . . .
CAPVT· E. . . . . .
COLONIS· COLONI . . . . ENVSIN
H-S· CCL·M·N· INTEGRA SINE DEDVCT
VICESIM· EA· CONDIC·VT·HERED·MEI
SVMM. . . . .
. . . .

Caput ex testamento quarta linea reponendum est, ita enim legata, quæ testamento Civitatibus, vel Sacerdotum Collegiis, aliisque linquebantur, dum publicæ memoriæ consignabantur, inscribi solita sunt, quod scilicet testamenti partem disegnaret: verum *τὸ Kaput ex testamento* testatoris nomini in publicis monimentis præferebatur.

At quoniam *Colonis Coloniæ Venusinæ?* quum si Coloniæ Venusinæ solum legasset, non iidem forsan legatum reciperent? An forte *Colonorum* Venusinæ Coloniæ, nuperos advectos Colonos designavit? An vel viritim legatum reliquit dividendum, quum si Coloniæ legasset, publico ærario legatum addiceretur? Hæc nemo divinaverit, nisi Augur Apollo.

CLAS-

CLASSIS PRIMA

Affectus Liberorum erga Parentes, & contra.

(4)

D. M.
CN. PETRONIO. ISI
DORO. INNOCEN
TISSIMO. VIRO. QVI
VIXIT. ANN. LVI. CN
PETRONIVS. ISIDOR
VS FIL. PATRI. KARIS
SIMO. AC. VERE. IN. SE
PIISSIMO. B. M. P.

(6)

M. CREPERIO
M. F. IVSTO. ET
SALVIAE VENERAE
CREPERIA HIERA
FIL. C. ARRIVS
IVSTVS. NEPOS
PARENTIB. OPTIM^S
P

(8)

M. CANINIO
MODESTO
AEBLA. E PLACC.

(10)

C. ANTISTIVS
MENOPHILI. E
ERGASIMVS. V. S. P.
ET. COMITI. F. A. N. VI
QVI. SIT. EST. HIC

(5)

TI. CLAVDIO. TI. F.
HOR. MAXIMO
PATRI
CLAVDIVS
FIRMI. P.

(7)

L. STAEDIO
AMIANTHO
MARIAE. HORN. . . .
L. STAEDIVS L. F. HOR.
IVSTVS. F. P.
P

(9)

RAEVIDIA. Ↄ LOPIAE....
TA SIBI ET RAEVIDIAE
IVCVNDAE MATRI
IN. FRO. P. XII.
IN AGR. P. XII.

Quæ nunc ſequuntur, omnes ſunt contra votum.

[11] VALETNO. A . . .
CVVÆ. LCNANÆ. SR
VIX. A. LIX. M. VI. D
XV. VALENTINVS ET
CARIOLA. FIL
PIIS. ET. SIB
P

(12)

D. M.
CLAVDIAE. TI. FIL. CYRILLAE
CORNELIA VICTORIA
FILIAE PIENTISSIMAE
P.

(13)

CONSCIA Q. F.
MAXIMILLA
HEIC SITA EST
ANN. NATA VII
PARENT. VIVIS
IN. FR. P. XIIII
IN AGR. P. XIII

(14)

D. M.
PROCVLO. INFANTI. DVLCISSIMO
Q. V. A. VI. M. II. GEMELLINVS ET
VICTORIA. FILIO. KARISSIMO
B. M. P.

(15)

. . . .
. . . ILLIA OSIN . .
. . . RVTA OSIN . .
. . . PRIMO FIL . .

(16)

L. MESS. LOLLI[a]
ONE. SIPHORo
ET.ALPHIAE.REDEMPTAE
SIBI ET FILIO
PIENTISSIMO
D P

(17)

C. VIRGINIO
C. F. AIBARO
MENATIA VALEN
TINA MATER ET
AIBARUS. PA
P.

(18)

Q. DRVSSIO. FIL. . .
DRVSSIA. TAR. . . .
MATER. ET . . .
FILIO. B. M. . . . .
VIX. AN. . . . . . .
M. IIII

(19)

D. M.
FLAMINIE. LVCILE
VIX. ANN. IIII
FLAMINIVS FELIX. ET
FLAVIA. CA...ENSIS FILIE
DVLCISSIME. ET. SIBI

(20)

CASCIA CA
PRIOLA SILVA
NO SUO NV
TRITO ET VER
NACIO SVO
B. M. P.

(21)

. . . .
. . . SEROS AVG. . .
. . . LIA FILIO
. IIII

(22)

E V G A M O
P O M P E I A E
F E S T A E S E R
P O M P E I A
PELAGIA MTER
QVOD DEBVIT
FILIVS MATRI

(23)

OVIAE
P. L. RALLIDI
APOLLONIUS
PATER
P.

(24)

D. M
OPTAT
DULC
QUE
AN

(25)

C. E G N A T I V S
E N T I M V S
M E D I C V S
S I B I. E T
ECNATIAE. FIRMÆ
CONTVBER. ET
C. EGNATIO
INFIMO.F.P.

(26)

TITIAE. C. L. AVCTAE
AN. VIIII
B I V E L L I A C L O E
P O S V I T

CLAS-

---

(1) *Extat ad* fontem magnum *prope superiorem Urbis Portam : Edidit etiam Matthæus Ægypt. SCto Bacch.* (2) *Petr. Burmann. de Vectigal. Pop. Rom. cap.* 11. (3) *Inter rudera Ecclesiæ* del Pelagano . *Habet Fabrett. Inscript. cap.*1. *num.* 172. (4) *Cippus ad viam, qua ex Urbe ad D. Trinitatis templum itur* (5) *In Parœcia D. Nicolai ad versuram domus Blasii* di Pompa, *alias* Scarpone. (6) *Ad Fontem Aquæ-benedictæ inter rudera Ecclesiæ D. Georgii .* (7) *In domo Archipresbiteri* Cannia, *paucis ab hinc annis defuncti . Habet Fabret. cap.* 9. *num.* 409. (8) *Ad novas ædes D. Trinitatis* (9) *In Vinea , quæ fuit Canonici D. Consalvi Leonetti . Lege* Rævidia C. Lopiæ Liberta. (10) *Ad Turrim Campanariam Cathedralis Ecclesiæ . Tertia linea.*

Vi-

Vivo Se Posuit, & *quarta* Filio Annis Natus VI. (11) *In quadam domo retro Cathedralem*. Valentino, Aulæ Pacuviæ Licinianæ Servo. Vixit annos LIX Menses VI. dies. XV. Valentinus, Et Capriola, Filio Piissimo, Et Sibi Posuere. (12) *Intus Ecclesiam D. Mariæ Magdalenæ* (13) *Ad parvam plateam in domo gentis* Allori. *Lege* CONSIA. (14) *In vinea quæ olim Fratris Dominici Ferro fuit, inter locum* la Maddalena *cognomento*, & Regale *flumen*. (15) *In domo gentis Casazzæ, prope magnam Plateam* (16) *Extat in* Sacrestia *D. Trinitatis in loco, quo manus terguntur* (17) *Ad scalas majoris portæ Ecclesiæ Cathedralis subter parastadim*. (18) *Fabrett. Cap. 9. num.* 162. (19) *Parva Columna in domo Monialium D. Nicolai della Capuana, ad versuram, versus domum Viti Maggio*. (20) *Ad Ædes D. Francisci, ex vinea* della Maddalena *adductus lapis*. (21) *Extat ad fontem Sacrestiæ Cathedralis Ecclesiæ*. (22) *In domo Equitis Divi Joannis, Viti Alerudæ*. (23) *Extat in Æde Monialium D. Mariæ* della Scala (24) *In vinea Donati* delli Puntali (25) *In atrio Templi D.Trinitatis*. (26) *Fabret. cap. 9. n.* 77.

CLASSIS SECUNDA

Affectus Conjugum.

(1)

BABVLIAE
ANT· FIL· DI
CONIVGI· AR
CASTOP· C· AN
CAPITONIS
ET·FITE· P·

(2)

DVCEAE. A . . .
VIXIT· ANN· XXIIII
C. GEMINIVS· NYM
PHIVS· COIVGI
DE· SE· MERENTI
P

(3) . . . .
..C.F.HOR.FRONTONI
. . . TAE. VXORI

(4)
HORATI. C. L. DIO . . . .
MITVLLEIAE VX. . . .

(5)

D. M.
SATRIO SV
PERANTI
VERECVNDA
EPRIA .. ERVI
. . . AE SER..O
IVRI . . . . . .
M . . .

Satrio Superanti, Verecunda Epria, Serviliæ servo, marito de se M. P.

(6)
INNEVIAE. ..
CAIAE. DOM. . . ..
COIVGI. COM
PARAVIT' L. VA
LERIVS. APRO
NIANVS. CVM
QVA. VIXIT AN
NIS. XI. B. M. P.

(7)
C. VATIVS
. . . MICEA . . . . . .
. . . VCCESSA . . . . .
. . . MICIAE B. M
P

(8)
. . . . . MARIO . . . .
. . LIBE. PYRAM . . .
. . AIA. Ɔ. LI. AMPLIA . . .
. . . ONIVGI. BENE . . .
RENTI. ET. SIBI. ET . . .
. . . . POSVIT.

(9)
D. M.
VETTIO AV. . .
. . OIVGI. INC. . .
LI CVM QVO
. . . TTIA. H. . .
. . . .

(10)
. . . VXORI . . .

SA-

(11)

SATRIO ISARGI
GRAPTE CAESAR
N. SER. CONIVGI
B. M. ET SIBI PO

(12)

L. L I V I O. L. L I B. P R O B O. A V G.
L I V I AE. L. L. H I M E R T E. V X O R I
LIVIO. SILVESTRI. PATRI. L. LIVIO. SILVESTRI. F.
LIVIAE. LAIDI. LIVIAE. SABINAE. LIBERTIS

(13)

. . ELUS . . . .
. . . DES . . .
ET . . .
. . ENAI T. . . . .
. . LAE. VXO . . .

(14)

P. RVF. REN. .:.:.:. SPECAIVS
SIBI. ET. CASSIAE. PRIM. CONIV
CASSIAE SILVIAE SOCRÆ

(15)

CλIVIλE SVCCESSλE
CLONIDIVS FORTVNATVS
CONIVGI ET
CλEVIVS PONVS SORORI
L. ICONI.
POSVERVNT

(16)

. . CLI . . . O. . .
. . CLITVS SIBI ET RESTITVTA
. . . FVLLONIA L. F.
. . MAXIM. . . . SIBI. ET. . . . .

(17)

. . DIO . . .
. . VG. SI . .
. . IINAE . .
. . F. CONI . . . .
. . C

(18)

HERACLIDA
AIILICENAC
. . . OCTERAT
NICA. CONIVGI. FEC
DE SVO

(19)

C VETTIVS. PYLAES. SIBI
ET FERENNAE. T. L.
RVFILLAE. VXORI
IN. FRO. P. XII. IN. AGRO
P. XII.

(20)

SIBILISIA. C. F. TACITA
SIBI. ET. C. STAT. C. F.
IASO VIRO

CLAS-

---

(1) *Extat in templo D. Trinitatis, extra portam* (2) *Extat prope domum* del Baliaggio. (3) *In Æde D. Marinæ* (4) *In impluvio domus de Pirontis* (5) *In domo Bernardini Patritii prope Ædem D. Petri* ; (6) *Ad versuram Ecclesiæ D. Rocci.* (7) *Ad Sepulturam intus Ædem D. Francisci.* (8) *Ad portam Viridarii Canonici Staso, retro Ecclesiam Cathedralem.* (9) *In vinea Magistri Cajetani* Turtura *prope* la Maddalena. (10) *In quadam officina ferraria prope superiorem Urbis portam* (11) *In turri Campanaria Cathedralis Ecclesiæ, subter Campanam* (12) *Ad ædes D. Trinitatis. Melius in Classe* adfectus Patronorum erga libertos *hæc inscriptio referenda esset.* (13) *Ad Portam domus gentis* de' Bagniuoli, *quam nuper ex Vitalianis sibi coemerit.* (14) *Ad Scalas*

les Ecclesiæ D. Francisci (15) *In Columna prope Ædem D. Mariæ* della Scala *extra Urbem*. (16) *Ad Parietem Vineæ D. Francisci, prope portam, ubi prius ædes Joannis* di Cesare *fuere*. (17) *In domo Caroli Evangelistæ*. (18) *Extra superiorem Urbis portam. Ob literarum nimiam difficultatem, quæ nimis rudes videntur fuisse, nil melius legi potuit*. (19) *Fabrett. habet cap. 9. num.* 187. (20) *Idem Fabrett. cap. 9. num.* 400.

CLASSIS TERTIA

Affectus Fratrum, & Sororum.

(1)

M. TARQ. . . . .
AMPLIATO. ET
BADIAE. MEDVSAE
C. EGNATIVS PVDENS
AMICO. ET. SORORI
P

(2)

. . AEDRIA
THETIS
. . ECEPTO
FRATRI. P.

(3)

LOCVS
L. PONTI. L. L.
PHILEROTIS
PONTIA L. L. TERTIA
SITA
IN. AG. P. XIII.

---

(1) *Ad*

(1) *Ad Scalas domus gentis Cicoriæ*. (2) *In domo Francisci Antonii* Pierro. *Lege*, *Phædria Thetis Recepto Fratri Posuit*. (3) *Intus Turrim Campanariam Cathedralis*, *subter majorem Campanam*.

CLASSIS QUARTA

Monumenta heredum, propinquorum, cognatorum, amicorum, & sodalium.

(1)
FAENIAE L. F.
FELIG· ··· LIAE
EX TESTAMENTO . . .

(2)
D. M.
M· PAGVVI· HER
MADIONIS
HEREDES
P.

(3)
. . . DIVS· P· F· H· . . .
VERRIS
EX. TESTAM.

(4)

(5)
. . . F. HOR
NI
STAMENTO

(6)
LVCVI . . .
CLAPI . . . .
LVCVLLE . . .
ARCHE . . .
P. BAEPIVS . . .
COSM. . . .

(7)
..L' L' FIRMILLA
.. N' L' LVDINI' V' S' L' M.

G.MVR.

(8)

C· MVRRASIVS
C· LEPICADVS
CAECILIA· L· L· PRIM
ANNOR· NATA· XI
CAECILIA L· L· SALVI
POSVIT· IN· FR· P· XII
IN· AGR· P· XII.

(9)

L. CASSIO
PANNIYO
SODALES
P·

(10)

: : M
. . LAVD . . .
. . EXPECTA . .
. . IRHBIVS C . .
. . PANVS C . .

(11)

. . . . . .
.. HILARVS
TVLLIA
HILARA· SITA· IN
F. P. XII· IN· A. P·

(12)

. . . .
. . C··C··M··D···
··· NEDIMVS
COLLEGA ···.
ET AMICO
P

(13)

FLAMIN'A—E L. L.
SILVANAE· ET· M.
CREPERO· M·L·MERO
L. LIVIVS. ROPI
MVS· AMICIS· B· M.
ET APROpDISIO

(14)

C. MARIO
SVAVI. AVG. QVI. N.....
IS. DEDIT. VI. NVM...
. . . .

(15)

D. M.
VENELLIA' PRIMITIVA
EVTRAPELO·AMICO
B. M.
P.

---

(1) *In quadam domo Paræciæ D. Petri, prope Ecclesiam D. Joannis.* (2) *In templo D. Trinitatis* (3) *In domo* delle quattro Dignità *ad portam promptuarii. Lege* Claudius P. F. Hor. (4) *Fragmentum ad scalas ædium Viti de Augustino, in Paræcia D. Petri.* (5) *Ad Ædem D. Marinellæ* (6) *In domo gentis* Casazza. (7) *In quadam domo retro novam Ecclesiam Defunctorum. Quarta linea lege* Votum Solvit Lubens Merito. (8) *Mendose* Marrasius *exhibet Fabrettus cap. 9. num.* 262. *Extat in Templo D. Trinitatis versus vineam.* (9) *Extat ante portam Molendini D. Mariæ* dell'Arena. (10) *In domo diruta del* Baliaggio *prope Turrim Campanariam Cathedralis.* (11) *Ad versuram domus Xaverii* Santo Liquido. (12) *In domo Archipresbiteri* Sprioli. (13) *In Templo D. Trinitatis.* (14) *Extat in Arce.* (15) *Habet Fabrettus cap. 9. num.* 473.

CLASSIS QUINTA

Monumenta ſingulariorum, & ab incertis poſita.

(1)

CN· TREBATIVS. LOGVS
Q. METILIVS. MARIO
M· ROSSIVS. AMPLIATVS
M. D. I. S.

(2)

.. L. I. O. M. F. N
.. ERENTIAE
.. ORNELIAE

(3)

FADIAE
M. L. NAIDI

(4)

L. CLODIO. L. F.
HOR

(5)

VISELIA
Q. F. SOFANISI
IN FRO. P. XII. IN AGR. P. XII

(6)

LOC
Q. NVMPI ...
DI. Q. F. SABI
NI. IN. FR....

(7)

VECTIS
HOR^S. TIRO

(8)

ATILIO
OLILISSO

(9)

POBLICIO SECV....
TITINIO SECV ....
POBLICIAE SEC....
F. C.

(10)

MARIAE
FESTAE

(11)

FESCENN
I A. A. F.
IN FRONT
E. P. XII

(12)

Q. PVBLICIVS
DEMOSTENES
HIC. SITVS. EST
IN. FR. P. XII.
IN. AGR. P. XIV.

(13)

STATILIA
AVCTI. L. PRIM
IN. FR. P. XII. IN
AGR. P. XII.

(14)

C. SVLPICIVS L.F.
HOR

(15)

IVNI
AITHA
C. F.

(16)

P. SERVIVS CENSVS.
POSVIT
IN. AGR. P. XII.
IN.FRONT.P.XII

(17)

ATIVS...
A. F. SE
TIVS.

(18)

MITISTIA. C. F.

(19)

L. VIBIVS
L. L. ONESI
MVS SIBI

(20)

M. ANTI
M. F. BRISO
LOCVS

(21)
C. FALERIVS
S. F.
IN FRO. P. XII
IN AGR. P. XII

Hic ſequentia epigrammata adnectere liceat, quae ab incerto etiam poſita videntur, licet pluribus.

(22)
D . . . .
P. CATINI. P. F. . . . .

(23)
N SCALACIO
STADILIONI
N SCALACIO
CLEMENTI
OPTATVM
. . . .

(24)
ANNIA. CINNE L. CORNELII. P. F. CINNA

quatuor ad ſunt ſtatuæ, quarum ſecunda caput tectum habet.

P. CORNELII. L. F. CINNA L. CORNELI. L. F. HOR. CINNANO.

---

(1) *Ad parvam portam domus Vitalianorum. Quarta linea lege Monimentum De Impenſa Sua.* (2) *Intus Cathedralem* (3) *In vinea gentis* Tamburellæ. (4) *Prope parvam Cathedralis portam.* (5) *In ædibus D. Auguſtini* (6) *In domo gentis Saluzzæ. Habet Fabrett. cap. 9. num.* 295. *Lege* Locus Q. Nymphidii Q. F. Sabini (7) *In domo gentis* Anniballæ. (8) *In pavimento Clauſtri Cappuccinorum.* (9) *Ad crucem extra ſuperiorem Urbis portam.* (10) *In domo gentis* Canniæ. (11) *In domo gentis* Lauridiæ. (12) *Lapis prope murum viridarii Joſephi* Chriſtiani, *& viridarium gentis Carpinellæ. Habet Fabbrett. cap. 3. num.* 466. (13) *Intus Cathedralem ad Ædiculan Porfidorum* (14) *In promptuario* Capituli *prope portam Urbis.*

(15)

(15) *Parva columna in quadam vinea* della Maddalena *reperta* (16) *Titulus in officina ferraria Capituli prope superiorem portam Urbis, literis elegantioribus* (17) *Intus Cathedralem.* (18) *Ad Episcopale palatium.* (19) *Ad murum viridarii nobilis viri Thomæ Altrudæ* (20) *In domo Joannis-Camilli de Pannellis* [21] *Ad D. Marinelle Ædes* (22) *Ad crucem extra superiorem Urbis portam.* [23] *Ad portam Ecclesiæ D. Trinitatis.* [24] *Intus novas Ædes D. Trinitatis. Duæ postremæ lineæ, unica linea scribendæ sunt.*

CLASSIS SEXTA.

Affectus Dominorum, ac Patronorum erga Servos, Libertosque, & contra.

(1)

MARCIA· MOSCHIS
SIBI ET
FORTVNATO LIBERTO

(2)

T. TVLLIANVS T· L· PHILOSTRATVS SIBI
ET· TVLLIANAE T· L· PAMPHILIAE· ET· TVL
LIANO T· L· ANTIOCO· PATRONO· SVO

(3)

PAPIRIAE
PATRONAE
FACELVS
PAPIRIVS

(4)

CO . . . . .
. . . HOR
LEG·XII. CHORT...
PRIM. OPTION ....
PHILAGYRVS
L
Q.DEL·

(5)

Q· DELLIO· Q· · · ·
· · PTATO· RAVEN· ·
ATI· NEGOTIATOR
. . . SCVS· LIB.

Quinto Dellio Quinti Filio , Optato Ravennati Negotiatori , Priscus libertus .

(6)

. . . .
. . . BL· APPIVS
AVIO L.

(7)

... BIVS Ↄ . . .
SIBI
BIO· Ↄ L. C...

(8)

HEC. . . .
LYSIVS. . . .
COL . . .
ET. . . .

(9)

COMI . . . .
ANITTIA· P· L· E . . . .

(10)

. . IVS· LI . . .
. . AEDIC . . .
. . TORIAC . . .
. . IIVS· L L·

(11)

D· M·
FLAVIAE HYCI
AE TVRITANA
LIBERTA PATRO
NAE· P

(1) *Intus Arcem , subter scalam Cardinalis .* [2] *Extat . . .* *Habet* Fabrett. *cap.* 4. *num.* 174. [3] *In domo gentis Rapollæ .* Gruter. 950. *n.* 1. *Manut.* 576. [4] *Ad D. Trinitatis Ædes .* [5] *Ante D. Francisci Ædes .*

(6)

[6] *In exteriore pariete D. Mariæ della Scala extra Urbem* (7) *In viridario Donati Cianciæ*. [8] *In domo Francisci Vitaliani prope D. Dominici Ædes*. [9] *Ad parvam portam Ædium D. Dominici*. [10] *In quadam domo D. Benedicti prope D. Nicolai ædes*. [11] *In æde D. Rocci*.

CLASSIS SEPTIMA

Affectus libertorum, servorumque inter se;

(1)

C. TVLLIO. C. L. T.
VETTIA. C. L. SALVI
..... TVLLIA. C. F. POLL...
PEQVNIA. FECERE

Subest hæc inscriptio duobus *semistatuis*, quarum prior viri, altera fæminæ est.

(2)

DRIMACO
COMINIA. C. L.
COPIOSA

(3)

CHRYSANTVS
PROTAVLES
TIGIAE

(4)

PRIMO
AVFIDI
PHYLAGRY
RI VERNAE
PRIMITIVO
SET. PRIM
IGENIVS

D. M.

(5)

D. M.
SILVAE BETITI PII
SERVAE ALPHIVS
CONSERVAE INCO
MPARABILI ET SIBI
P.

FRAGMENTA

Antiquarum inſcriptionum, quae ſparſim per Urbem invenimus.

(6)

LO .. Q. VIVI.....
C. CAESI. Ɔ. L. SPO
DRIAE L. VIBELLI. F.
S.. V... I. D... A.. A... I. A F.

..C...
..COR..
..MINA..
F

... RO· P· XX.
... P· XII· XIX...

..IN· FR. P. XII.
IN. AGR. P. XII.

.. SIBI· L.
.. AVCN ..
.. HILA ....

... MINICI....
... MPHION OM...

.. VS ..

... B· M·

Q· EILI ...
ERAQ...
.. VFVS H...

....OCISTES....
....V I E S C......

.. AGIO F...
.. ADO AV..
.. AGIO P...

IN· FR· P. XII
IN· AGR· P· XII

.. ERRENYS· T· F· C··
.. E .... EC ....

IN· FR· P· XII
IN· ACR· P·XII

.. LLIST ...
.. TOFILI ,..

.. F.. HOR. TIRO .

IN· FR· P· XII·
IN· AGR· P· XII
VIXIT

.. VRI ...
.. T·ET..
.. MO ...
.. V R I ..

IN. FRON..
PEDES.

.. MARIA III POI ...
.. APISENIIO ....
.. MARIAE ...
.. AD ...

.. IN· FR....
.. GR· P· XI...

Q· HERE ...
Q· F· O .....

.. CISALVM ...
SVM ..

IN· FR· P· XII·
IN· AGR· P· XII·

Q. TAN ...
NI. M...
FA....

NIA.

.. NIA...   .. OSEM...
EVC...   .. OSE. C. M..
V...   .. C. SER..
.. C...

... I V. C.   C. BRVTTIVS LVC...
.. E G M..   NA....
.. SERA...   O.....
.. X X V...

... ЉN ...
... ILA...

Quæ ſequuntur diverſa fragmenta omnia palmaribus literis ex aere in marmore incruſtatis ſunt, atque in templo D.Trinitatis extant.

RIVS ... MAXIM ... Q. I. L.... M. V. L.
NIV ... SOR ... PVE ... L. C. A

ASS ... STF ... PL NO ... LIRO ... LO..
AR ... OC ... A ... HO .... IONO... AL...
SAFo ... SA ... AED .... VIRO ... ET...
PO. ALE....

Neque hic C. STRII MAXIMI Venuſini militis ſileatur memoria, quam penes Fabrettum videre eſt (7).

(1) *Ad fontem parvæ-plateæ: tertia linea supple* SVA [2] *Ad ædes D. Trinitatis.* (3) *In loco cognomento* la Maddalena [4] *In ædibus Cappuccinorum, versus viridarium.* [5] *Ad scalas domus, quæ D. Trinitatis templo adnectitur.* [6] *Prope domum Blasii* di Pompa, *alias* scarpone. *Reliquorum fragmentorum notitiam, quoniam nil pene contineant, obticuimus.* [7] *Fabrett. cap. 9. n.* 48.

CAPUT XII.

De Venusinorum moneta.

Illud sane nobis mirum est, quum tantæ Venusinorum monimentorum supersint reliquiæ, & eorum, nec unum saltem nummum nos reperire potuisse, qui an omnes reliquarum eodem Italicarum Urbium fato perierint, difficile quidem adfirmarem. Arpinorum certe, Lucerinorum, Teanensium, & *Τεανων* tot numismata supersunt, ut quæque Regum, & Antiquariorum cimelia magnopere abundent. Venusinorum, Canusinorumque nummi nondum apparuere, qui, vereor magis, atque magis, ne inter eos sint, qui cum Colonici esse cognoscantur, cujusnam vero civitatis sint, adhuc ignoretur. Venusinorum certe nummi ante Romanorum coloniæ deductionem Samniticis oportuerat inscribi litteris: ita enim & antiquissima Campanorum numismata Oscis inscripta literis reperiuntur.

Scimus equidem ea, quæ a summis scripta sunt viris de jure monetæ cudendæ Coloniis, Munici-

nicipiis, Fæderatisque Italiæ Civitatibus, a Romanis relicto, ideoque haud facile in Mazochii verba jurarem, putantis (1) eousque Italiæ civitates nummos feriisse, dum earum Romani potiti sint, & quidem sane fœderatarum Civitatum, Municipiorumque non una fœderum, pactionumque conditio fuit, & Romani fœdere potius quam armis universam sibi Italiam compararunt. Arpanos hercle meos conterraneos ad postrema usque Romanæ Reipublicæ tempora argentum, atque æs feriisse, ex eorum numismatum ingenti copia, quæ adhuc extat, & quotidie effoditur, certum est: neque ab hac nostra sententia vir summus Ezechiel Spanhemius in libris, de præstantia, & usu numismatum, abludit, qui a Romanis Imperatoribus Italiæ etiam civitatibus hoc jus tributum scribit (2).

Quod num etiam Venusiæ nostræ advenerit, non hercle adfirmarem, dubitationis enim nostræ argumenta præbet Livius (3), qui Equites, Peditesque Romanorum, ex Cannis profugos a Venusinis quadrigatos nummos recepisse scribit, quod quum post priorem coloniæ deductionem advenisse certum sit, aperte demonstrat tunc temporis Romanorum nummis Venusinos usos fuisse: nisi forte Livius quadrigatos dixerit Venusinos priscos nummos, quod Romanorum quadrigatis responderent.

Verum his de rebus novitium Daunorum Camœnis a nobis donabitur opus. Nunc propositio operi prior reddatur forma, & postremo, qui se-

qui-

quitur ; libro Venusinorum κάτα χρόνον lustremus fatum.

(1) *Alex. Symm. Mazochii Commentaria in Heracleenses tabulas pag.* 115. *To.* 1. (2) *Dissertat.* 10. *pag.* 167. *edit. Amstelæd.* 1717. (3) *Livius lib.* 22. *cap.* 30.



ANTIQUITATES
VENUSINÆ.
LIBER III.



ANTIQVITATES VENVSINÆ.

LIBER III.



Obis quoque in hac postrema operis parte illud fari liceat, idem prorsus Venusinæ, ac Romanæ Reipublicæ fatum videri; libertas enim, quam universæ Italiæ Cæsar ademit, licet perniciosissimis civilibus jurgiis modum poneret, Imperium tamen Romanum adeo lacessivit, ut invadentibus illud barbaris gentibus ita perdiderunt, ut Romani Imperii nil, præter inane nomen nobis nunc sit relictum. Romanis libertatem obtinentibus, ad illud magnitudinis fastigium Venusia devenerat, ut jam cum ipsa Roma comparari auderet: verum deinde Romano succumbens fato, barbari advenientes adeo eam excidere, ut ni Ludovici Francorum Regis munificentia restituta esset, Venusiæ solum nomen ad nostra usque tempora devenisset. Duo igitur hoc postremo libro supersunt argumenta, primum

de Venusinorum erit fortuna, Imperatoribus adhuc dum Romanum Orbem moderantibus, alterum de Venusinorum erit fato, barbaris gentibus universam Italiam distringentibus.

CAPUT I.

Apuliæ περίςασις ex Octaviani Augusti temporibus ad Constantinum usque.

SUNT qui Augustum Cæsarem, fractis jam Bruti, & Antonii partibus, quum ad Romanum Orbem regendum animum applicuisset, Italiam in undecim regiones divisisse, quarum tertiam Apuliam, Lucaniam, Brutiam, atque Calabriam comprehendisse putant (1). Quantum vero hac in re decepti sint, paucis ostendam: Plinius enim, quem eorum sententiæ auctorem demonstrant, quum Italiam describendam suscepisset, hæc præfatus est: „ Qua in re præfari necessarium est „ auctorem nos D. Augustum secuturos, DESCRIPTIONEMQUE ab eo factam Italiæ totius in regiones undecim, sed ordine eo, qui litorum tractu fiet: urbium quidem vicinitates oratione utique præpropera servari non posse, itaque interiori in parte digestionem in literas ejusdem „ nos secuturos, Coloniarum mentione signata, „ quas ille in eo prodidit numero. Nec situs „ originesque persequi facile est, Ingaunis Liguribus, ut ceteri omittantur, agro tricies da- „ to

„ to (2). „ Ex quibus sane verbis certum omnino est Augustum Cæsarem Geographiæ libros descripsisse, in quibus Italiam in XI. regionibus designavit: verum nunquam ipse divisit, futile quidem enim tunc temporis fuisset opus, quum neque Correctoribus, neque Consularibus, neque Præsidibus ejus partis cura committeretur: cur igitur dividi opus fuerat? Nec quidem Augustus universam Italiæ depressit libertatem, ut Correctorum, Consulariumque judicio eam committeret.

Petrus Jannonius vir præclarissimus in suis historiarum libris (3), quatuor Italiæ divisiones recenset, quarum Auctores Romulum, Augustum, Hadrianum, & Constantinum demonstrat. Sed per Deos immortales, tantum ne ipse credidit Camillo Pellegrino, ut tam foede ab illo decipi sinat? Romulus neque tanti erat, ut Italiam describere posset, neque integra dominatus, vel peragratus est, ut ejus divisionem posset saltem designare: & mihi certum est neminem antiquorum scriptorum talia loquutum fuisse. Augustum vero descripsisse, non verum divisisse Italiam certum est, quum dividere sit jurisdictionum, & populorum fines statuere, quod ab Augusto nullo quidem pacto factum accepimus: per ejus enim designationem, neque jurisdictiones, neque populorum fines distincti sunt. Quod etiam nobis Plinius demonstrat in tertii libri elencho, quos se ex Turannio Gracile, Cornelio Nepote, Tito Livio, Catone Censorio, M. Varrone, Divo Augusto, aliisque geographiam excerpsisse testatur. Et Svetonius, capite ultimo, Augu-

 stum

ſtum breviarium totius Imperii ſcripſiſſe auctor eſt. De reliquis diviſionibus paulo poſt dicetur.

Quod vero ad rem noſtram attinet, certum omnino eſt Auguſti temporibus Venuſinorum αὐτονομίαν ea ſolum parte immutatam fuiſſe, qua Svetonius Tranquillus monet, ſcilicet in ferendis ſolum de Romanis Magiſtratibus ſuffragiis (4): nam de juriſdictione Colonicorum Magiſtratuum nihil ſane adfirmandum eſt, quum neque Dio Caſſius, neque quis alius nos moneat.

De diviſione vero Italiæ, quam abs Hadriano factam putant, ſciendum ſane eſt magnopere hallucinatum fuiſſe Petrum Jannonium, nimiam Pellegrino credulitatem præbendo, quum ſcripſit Hadrianum Italiam in ſeptendecim provincias diviſiſſe. De hujus ſane diviſione, neque Dio Caſſius, neque quis Antiquorum alius loquitur, præter Ælium Spartianum, de quo magnopere Salmaſius queritur, quoniam rem tam magnam tribus ſolum expoſuerit verbis: ait enim: *Quatuor Conſulares per omnem Italiam judices conſtituit* (5): quod manifeſte Italiæ diviſionem denotat, quum ejus juriſdictio quatuor diſtincta fuerit partibus, quod Julius Capitolinus, quum de Antonino Pio loquitur etiam adfirmare videtur: ait enim: „ Ab „ Hadriano inter quatuor Conſulares, quibus Italia „ committebatur, electus eſt, ad eam partem Ita„ liæ regendam, in qua plurimum poſſidebat, „ ut Hadrianus viri talis, & honori conſuleret, „ & quieti (6). „ Certum igitur eſt Hadrianum omnem Italiæ juriſdictionem quatuor Conſularibus demandaſſe, & ſingulis ſuam provinciam deſignaſſe. Hinc hallucinatum Cl. Salmaſium

pu-

puto, quum Apuliæ, & Lucaniæ Correctorum Hadrianum auctorem fecerit. Quo in loco etiam admonendum est Cl. Causabonum peccasse, qui Hadriani divisionem ad Macrini usque tempora perdurasse scripsit, quod non adhuc dum nobis perspectum est, potissimum Appiano ajente. Ἦσαν γὰρ ὡς ἔοικε τότε καὶ τῆς Ἰταλίας ἄρχοντες ἀνθύπατοι κατὰ μέρη· ὃ καὶ Ἀδριανὸς ἄρα μιμούμενος ὕστερον χρόνῳ πολλῷ, τὸ αὐτοκράτορα Ῥωμαίοις ἡγούμενος ἀνεκαίνισε, καὶ μετ' αὐτὸν ἐπέμεινεν ἐς βραχύ (7). Quibus ex verbis manifestum omnino est, Appiano adhuc vivente, Hadriani divisionem immutatam fuisse: atque tunc temporis primum Juridicos per Italiæ Regiones missos puto, quos primum M. Aurelium Philosophum instituisse apparet (8).

Verum num & ipse Aurelius Imperator Italiam in XVII. regiones divisisset, cum singulos juridicos cuique regioni adsignavit, difficile quidem adfirmarem. De juridicis Apuliæ frequens in priscis lapidibus mentio est: hos sane, uti & ceteros Italiæ juridicos annonam in suis provinciis curasse certum est, ex Dionis, seu Xiphilini loco, Macrino Romanum Imperium obtinente: Καὶ μετὰ τοῦτο τό τε ἀποδίδοσθαί τινα ἐν ταῖς τῶν στρατηγούντων πάνυ θέαις, πλὴν τῶν τῇ Φλώρᾳ τελουμένων, Δικαιονόμοι οἱ τὴν Ἰταλίαν διοικοῦντες ἐπαύσαντο, ὑπὲρ τὰ νομισθέντα ὑπὸ τοῦ Μάρκου δικάζοντες (9). Prætores, quibus ludorum cura ab Augusto jam demandata fuit, cum in muneribus edendis populo frumentum, aliasque res largiri debuerant, ex Italiæ regionibus tantum expetebant frumenti, ut jam in eis caritatem facerent; hinc Juridici huic malo adversantes frumenti collectionem δικάζοντες vetuere. Cl. Reimarus ex priscis lapidibus in adnotationibus ad hi-

sto-

ſtoriam Dionis Caſſii, demonſtrat Juridicis omnibus ſuæ Provinciæ annonam curæ fuiſſe.

Juridici verum quando deſierint, non ſatis quidem nobis compertum eſt, quum nullus antiquorum nos aperte doceat: puto tamen tertio labente Chriſti ſæculo, vel ab Aureliano, vel a quodam alio Principe prius ſublatos, monet enim Trebellius Pollio Tetricum Galliæ Tyrannum ab Aureliano victum totius Italiæ annonariæ Correctorem factum. „ Pudore tamen „ victus vir nimium ſeverus, eum, quem triumphaverat, Correctorem totius Italiæ fecit, ideſt „ Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, „ Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ, atque Umbriæ, „ Piceni, & Flaminiæ, omniſque annonariæ re„ gionis (10). „ Legenda omnino ſunt, quæ eruditiſſimus Salmaſius de annonariis Provinciis ad hunc Pollionis locum ſcripſit. Verum vereor magis, atque magis ne *τὸ Correctorem*, Curatorem potius legendum ſit, quod annonariis Provinciis magis convenit: & quidem Ægypto, quæ annonaria Populi Romani provincia fuit, præter Juridicum, Curatorem etiam fuiſſe ex Æmiliani Tyranni vita (11), aliiſque Latinis, Græciſque ſcriptoribus, certum eſt. Lapides priſci præterea *Curatores* ſæpe *annonæ* exhibent, non vero Correctores. Mendum propterea librariorum ideo in Tetrici vita incidiſſe puto, quoniam ipſi in Vopiſci libris Tetricum Lucaniæ, & Brittiorum Curatorem factum (12) legerint; quod haud difcile eveniſſe, nobis ſententia eſt.

Igitur magno Conſtantino Romanum orbem moderante, Apuliæ Correctores primum apparent: &

& sane quidem tunc demum Italiam in septem, & decem regiones distinctam puto, ejusque administrationem duobus Correctoribus, Consularibus octo, & septem Præsidibus demandatam, quum Romanorum Imperatorum nemo tamdiu vixerit, ut bellis omnibus sedatis, Italiæ administrationi consulere potuisset. Et ejus sane ætatis Ælium nostrum Restitutianum credo, quod ratio etiam nominis suadet, Constantino enim imperante & Cl. Plotianum, & Melichium Hilarianum, & Octavianum Correctores novimus. Restitutiani præstantissimus Venusiæ titulus extat, ex quo conjectare est templum aliquod ab eo extructum, & in honorem splendidissimæ Venusinorum Civitatis consecratum. Certum sane est Apuliæ, Calabriæque Correctorem Venusiæ consedisse, ex eo enim loco commode utramque Provinciam regere poterat. Lapis sic se habet (13).

LVCVLLIANORVM . PROLE . ROMA
NA . AEL . RESTITVTIANVS . V . P.
CORR. APVLIAE . ET . CALABRIAE . IN
HONOREM . SPLENDIDAE . CIVITATIS
VENVSINORVM . CONSECRAVIT

Quis Imperatorum primus Correctores, & Præsides instituerit adhuc dum obscurum est; duos sane certum est in Italia Correctores factos fuisse, quorum primus Apuliam, & Calabriam, alter Lucaniam, & Brittiam regeret. Tam Lucaniæ Correctori, quam ceteris, qui per Provincias Romani orbis missi sunt, dignitate Apuliæ, & Calabriæ Corrector præstabat, quod ex li-

libro, cui titulus est *Notitia utriusque Imperii*, Theodosio juniore imperante conscripto, certum est. Ex eo libro hæc habentur: „ Sub jurisdictione
„ viri Clarissimi Correctoris Apuliæ, & Cala-
„ briæ = Provincia Apulia, & Calabria = Of-
„ ficium autem habet ita. Principem ex eodem
„ officio. Cornicularium, Tabularios. Commen-
„ tariensem. Adjutorem. Ab actis. Subadjuvam.
„ Exceptores, & ceteros cohortalinos, quibus
„ non licet ad aliam transire militiam, sine no-
„ tatione Clementiæ Principalis (14). „ Correctoris præterea insignia perhibentur *Oppidum* & liber his literis inscriptus FL. VAL. CORR. IVS. DD.

Principis, (quem ita appellatum putant exemplo Principis primæ cohortis) litigantes ad Correctorem citare, atque omnia judiciorum acta exequi, munus fuisse certum est (15). Judicia sæpe etiam actori dictabat, atque libellum reo edendum componebat, particeps ideo omnium sportularum, quæ a litigantibus solvebantur, erat (16), eaque de caussa leviores sportulæ ab eo solvebantur, quum litigabat (17): exigendorum tributorum præterea cura ipsi inerat, majusque ipsi stipendium ideo solvebatur.

Cornicularium Pancirolus fuisse putat, qui jussa, sententias, & decreta scribebat, atque publicabat, verum aliter Accursius, & Alciatus: intererant quidem quæstionibus, quæ de reis criminum habebantur. *Commentarienses* sunt, qui carceribus præerant. *Ab actis*, qui diversa contrahentium, & aliorum negotia coram judice acta, chartis mandabant, fidemque de eis faciebant. *Exceptores* erant, qui

qui acta judiciorum in caussis appellationum scribebant. Ceteri *cohortalini* sunt Adjutores, Subadjuvæ, Numerarii, Curatores epistolarum, Regundarii, Singularii, Ducenarii, Primipili, quorum munera, uti etiam Principum, ceterorumque, uberrime Cl. Pancirolus exponit in præclarissimo Commentario ad *Notitiam utriusque Imperii*, ex quo pauca nos excerpsimus, & reliqua conticuimus, ne coctam crambem reponeremus (18).

Quo vero tempore Correctores desierint, paulo post aperiemus, nunc solum velim advertas magnopere hallucinatum fuisse Petrum Jannonium, quum Correctores, Italiæque divisionem Hadriano tribuerit. Ac demum illud monendum puto, quod, quum ex *Notitia Utriusque Imperii* Correctorem Apuliæ *Clarissimatu* functum appareat, ex nostro lapide honorificentissimo *Præstantissimatus* titulo decoratum cognoscimus. Ex eodem præterea libro Correctores, Consulares, & Præsides Præfecti Prætorio Italiæ paruisse demonstratur, quod Constantini demum ævo factum est, ipse enim primus, quum Romanum orbem in quatuor divisisset partes, Præfectum Prætorio Italiæ ordinavit, qui Africæ, & Illyrico præesset: verum antea ab Correctoribus, ceterisque appellatio ad Imperatorem erat.

Jamdudum supremam huic capiti manum imposueram, quum mihi allatus est liber Francisci Mariæ Pratilli *de Campaniæ Consularibus*, in quo quum Italiæ etiam divisiones recenseantur, & Augusti divisio maximopere prædicetur, eo studiosius, quam oportuerat, perlegimus. Peterem sane ex Pratillo num latinam aliquando ipse didice-

rit linguam? Objurgat enim Cl. Maffejum (quem jam dudum de Italiæ divisionibus loquutum comperimus), quoniam Augustum Italiam divisisse negat: Plinius enim, quem solum auctorem Pratillus ceterique compellant, hæc scribit: *Qua in re præfari necessarium est auctorem nos D. Augustum sequuturos*, *DESCRIPTIONEMQUE ab eo factam Italiæ*. Deerant forte Pratillo Lexicographi, ex quibus quid τὸ *descriptionem* valeret, addisceret. Hoc mihi etiam argumentum est D. Lucæ libros nunquam a Pratillo forte perlectos fuisse, scriptum enim in eis est. „ Factum est autem in diebus „ illis: exiit edictum a Cæsare Augusto, ut de„ scriberetur universus orbis. Hæc descriptio „ prima facta est a Præside Syriæ Cyrino (19). „ & sane certum est neminem eruditissimorum virorum Augustum universum Orbem divisisse, chartis mandasse.

Reliquum Pratilli opus nullum certe laudis auctori præbet argumentum: ex eo sane mihi temperare nequeo, quod quum ipse Augustum omnino Italiam divisisse putaverit, Consulares etiam Campaniæ suæ Augusti sæculo adstruit. Et primum M. quendam Aquilium Proconsulem ex quodam lapide profert, (cui neutiquam ego credam, quum plene hunc scriptorem cognoscam): verum si ipse Pratillus epigraphem non effinxerit, quinta linea CAMPANAE. COL. omnino scriptum est. Rursus Julium Rufum Augusti Sæculo Consularem profert, quum in ejus titulo *Clarissimus vir*, aperte legatur. Nonium etiam Balbum Herculanensium Patronum ridiculis argumentis Campaniæ suæ adscribit. Ac demum L. Neratium Priscum,

ſcum , Veſpaſiano Imperio moderante, Proconſulem Campaniæ ex nova inſcriptione ipſi ſolum viſa, poſteaque deperdita, exhibet. Poterat ſane alteram confingere inſcriptionem, Romulo adhuc dum Urbis muros aratro deſignante, noviſque Conſularibus Campaniam ſuam donare.

Quam cuperem ut eruditiſſimos Sigonii libros de antiquo jure Italiæ, Pratillus perlegiſſet, priuſquam ſuis libris manum imponeret: nondum enim ei innotuerunt Italorum libertates, & jura. Univerſa Italia, vel liberis, ſive fœderatis Civitatibus, vel Coloniis, vel Municipiis, vel Præfecturis, vel Conciliabulis, aliiſque componebatur civitatibus. Colonis ad Urbanum Prætorem poſtremis Reipublicæ temporibus provocare licuit, quum ceteris, fœderatis exceptis, ad Peregrinum provocatio eſſet. Neapolitanis, qui fœdere ſolum Romanis adjuncti ſunt, neque Peregrino, neque Urbano Prætori provocatio fuit, ſumma enim jura ſuos pene Magiſtratus fuere. Libertatem, quam nemo bonus, niſi *cum anima ſimul amittit*, Pratillus noſter Neapolitanis adimit, eoſque Conſularibus ſuis ſubdit, atque hujus facinoris, neque Cæſarem, neque Imperatorum quempiam auctorem compellat. Demonſtret nobis ſaltem, quo ex fonte hæc biberit. Deſinat tandem Pratillus Clariſſimum Carolum de Franchis laceſſere Patronum diſertiſſimum, cujus ſane viri vivit, vivetque ſemper glorioſiſſima memoria, neque quidem deinde habebimus, qui cum ejus doctrina, & eloquentia comparari poſſit, ſciat enim Pratillus, nos multa in ejus operibus habere, quæ nunc ei condonantur, attamen

... proferentur post, si perget lædere;
Ita ut facere instituit.

---

(1) *Petrus Jannon. Hist. Civ. Neap. Cap.* 3. *pag.* 11. *Camillus Peregrin. disc.* 2. *Camp. fel.* (2) *Plin. Hist. nat. lib.* 3. *Cap.* 6. *pag.* 149. *vers.* 14 (3) *lib.* 1. *Cap.* 3. *pag.* 10. *edit. prim. Neap.* (4) *Sveton. in Aug. cap.* (5) *Ael. Spart. in Hadrian. cap.* 22. (6) *Jul. Capitol. in Anton. Pio. cap.*2. (7) *Appian. Alex. bell. civ. lib.*1. *pag.*633. Tunc enim erant, ut videtur, Proconsules gubernantes Italiam per partes, quem morem & Hadrianus quasi imitans, multo post tempore, Imperator Romanorum factus, renovavit, & post ipsum duraturum brevi. (8) *Capitol. in Marc. Cap.*11. *Dio lib.*78. *pag.* 1329. (9) At postea morem illum distribuendi quædam in ludis istis majoribus, quos Prætores curant (exceptis qui Floræ fiunt) Juridici Italiam administrantes aboleverunt, præter statuta a Marco, jus dicentes (10) *Trebell. Poll. in vita Tetrici sen* . (11) *Idem Trebell. in vit.* 30. *Tyr.* (12) *Vopiscus in Aureliano. Cui adde Aurelium Victorem.* (13) *Extat ad fontem magnum prope superiorem portam Urbis : de veritate hujus inscriptionis nonnulli dubitarunt, verum lapis ingenuus omnino est, & literæ sæculi barbariem etiam sapiunt. Venusini, ne hujus lapidis memoria deperiret, aliud huic simile effinxere proximis annis, & in Turri Campanaria Cathedralis adstruxere.* (14) *Notitia utriusque Imperii cum Pancirolo, edition. Stephani Gamoneti* 1623. *pag.* 154. (15) *vide integr. tit. Cod. de princ. agen. in reb. &c.* (16) *leg. ult. C. de re militari* (17) *Cod. de princ. agend.* (18) *Panciroli laudatissimum commentarium habes etiam in VII. Tomo Thesauri Grævii.* (19) *Luc. cap.* 2. *vers.* 1. & 2.

CA-

CAPUT II.

Romanorum Imperatorum memoriæ a Venuſinis poſitæ.

PRIUSQUAM Italiæ, Venuſiæque ſupremum fatum a nobis recenſeatur, ſignemus parumper ſtylo Romanorum Imperatorum memorias a a Venuſinis poſitas, quarum primam nobis Gudius ex Ligorio affert; qua in exponenda nequeo mihi temperare, quin meam de Ligorii fide dubitationem afferam, licet ἐπιγραφὴ nullam ſane falſitatis notam oleat: ſic enim ſe habet (1).

IMP . CAESARI . DIVI . TRAIANI
PARTHICI . GERMAN . DACIC . FILIO
DIVI . NERVAE . NEPOTI . TRAIANO
HADRIANO . AVG . PONTIF . MAXIMO
TRIBVNIC . POT . XIX . IMP . II
COS . IIII . P . P . OPTIM . PRINC
PVBLIC
VENVSINEI . COL .
IMMVN
ANN . XX .

Fuit quidem Hadriano Imperium obtinente terræmotus ingens, qui permultas urbes vaſtavit: forte & iſtas inter Venuſia noſtra fuit, ideo-
que

que per viginti annos immunitatem ei concessit. Spartianus enim est auctor: „ Fuerunt ejus temporibus fames pestilentia, & terræmotus: quæ „ omnia quantum potuit, procuravit; multisque „ Civitatibus vastatis, per ista subvenit. Fuit „ etiam Tiberis inundatio; Latium multis civi„ tatibus dedit: tributa multis remisit (2). „ Munificentissimum insuper principem Hadrianum fuisse Dio testatur. Ἐλθὼν γὰρ ἐς τὴν Ῥώμην, ἀφῆκε τὰ ὀφειλόμενα τῷ τε βασιλικῷ, καὶ τῷ δημοσίῳ τῷ τῶν Ῥωμαίων, ἑκκαιδεκαετῆ ὁρίσας χρόνον, ἀφ᾽ οὗ τε καὶ μέχρις οὗ τηρηθήσεσθαι τοῦτ᾽ ἔμελλεν (3). Et Spartianus: „ Aurum „ coronarium Italiæ remisit, in provinciis mi„ nuit .... Ad colligendam autem gratiam ni„ hil prætermittens, infinitam pecuniam, quæ „ Fisco debebatur, privatis debitoribus in Urbe, „ atque Italia: in provinciis vero etiam ex re„ liquiis ingentes summas remisit, Syngraphis in „ Foro divi Trajani, quo magis securitas om„ nibus roboraretur, incensis (4). „

Verum his Ligorio relictis, illud certum est Antoninum Pium operum publicorum Venusiæ Neratium Proculum Curatorem fecisse, uti ex titulo, quod prope Lacedoniam extat, manifestum est.

C.

C . N E R A T I O . C . F I L
C . N . C . PRON . C . ABN . COR
PROCVLO . BETITIO . PIO
MAXIMILIANO .
QVAEST . II . VIR . QVINQ . P . C .
FLAMINI . DIVI . HADRIAN
CVRATORI . OPERUM . PVBL
VENVSIAE . DATO . AB . IMP
A N T O N I N O . A V G . P I O
E P A P H R O D I T V S . E T
CONVENTA . LIB
L . D . D . D .

Placuit in hoc exponendo Gruteri lectionem retinere, Pratillus enim, qui lapidis magis fidem sequi testatur, vereor ne hac in re, ut in aliis etiam, nos decipere cupiat. Habet etiam Pratillus monumentum Anniae Faustinae M. Aurelii Philosophi Uxoris a Venusinis positum, quod si verum est, ipsi certe in honorem Antonini Pii, & M. Aurelii constituere. Monumentum sic se habet (5).

DIVAE
FAVSTINAE
PII AVG . FILIAE
AVGVSTAE
COL · VENVSIA
D. D.

Verum nos eodem adverso fato hunc lapidem non

non invenimus, qua de caussa de ejus falsitate etiam dubitari licet. Ceterum supersunt nunc Venusiæ fragmenta duo, quorum prius ad C. Cæsarem, alterum ad L. Septimium Severum adcensendum puto.

(6)	(7)
.... R TRIB. MIL ...	.. FI ... SI .. VNISI ...
.... B. AB IMP. C. C..	.. ATQ. IMP. SEV ... .. IAE. AFRICAE ...
	.. I ... C ... T ....

Hic etiam addere liceat fragmentum aliud, quod de magistratibus ab Imperatoribus missis loqui videtur, & ni fallor de Procuratore Provinciæ Calabriæ loquitur.

RO ... PR.PROV. C.
..... EPPIVS ....

Subnectere his liceat fragmentum aliud, quod dubii quidem sumus, num ad Aeliam Verinam, vel ad aliam Augustam tribuamus, literarum quidem forma elegans, a Verina nos sevocat (8).

... AVGVSTA . AELIA .....

Ac demum elegans monumentum superest M. Aurelio Antonino Caracallæ positum, de quo sciendum est, quum in duas partes scissum duobus diversis locis adservaretur, primam solum Pratillo innotuisse, qui inepte nimis M. Aurelio Philosopho lapidem positum scripsit, quod Appiam per Venusiam refecisset, quum, si Philosophus esset, Parthici titulo, Armeniaci titulus præcedere debuisset.

Fragmenta hæc sunt.

IMP.

(9)
IMP . CAES
M . AVRELIO
ANTONINO PIO
FEL . AVG . PART ....

(10)
COS.IIII.P.P.PROCOS
DIVI.SEVERI.FIL
P. D. D.

quæ ita ſunt componenda

IMP . CAES
M . AVRELIO
ANTONINO PIO
FEL . AVG . PARTHICO
GERMANICO ARABICO ALEMAN.
TRIBVNIC . POT . XVII . IMP . III .
COS . IIII . P. P. PROCOS
DIVI . SEVERI . FIL
P. D. D.

Quanam vero de cauſa Venuſini titulum Caracallæ poſuerint, divinare quidem nobis non eſt. Atque hæ ſunt Imperatorum Romanorum memoriæ, quæ Venuſiæ extant, & vorax ætas reliquit.

(1) *Gudius, Inſcript. Theſaur. pag. 9. num. 4.* (2) *Spart. in vita Hadrian.* (3) *Dio Caſſius lib. 69. n. 8. pag.* 1159. Igitur ut primum Romam venit, quidquid aut fiſco principis, aut populi Romani ærario debebatur, remiſit: definito tempore annorum ſexdecim, ex quo, & quouſque id beneficium obſervandum eſſet. (4) *Gruter. pag. 441. num. 5. Pratillus vero lib. 4. cap. 5. Viae Appiae, sic habet.*

C. NERATIO . C. FIL.
C. NEP. C. PRON. N. C. ABN
PROCVLO . BETICIO . PIO
MAXIMILIANO
QVAEST. II. VIR QVINQ. P. T.
FLAMINI DIVI HADRIANI
CVRATORI . OPERVM . PVBL.
VENVSIAE . DATO . AB . DIVO
HADRIANO CVRAT . KAL.
NOLANORVM . DATO . AB . IMP
ANTONINO AVG. PIO
EPAPHRODITVS . ET
CONVENTA LIB.
L. D. D. D.

(5) *Via Appia lib.* 4. *cap.* 5. (6) *In muro Ecclesiæ Trinitatis ad viam , in ima muri parte .* (7) *Eodem loco. Fragmentum vero, quod de* Eppio *loquitur , extat adversus domum Nicolai Chirico in Parœcia D. Petri .* (8) *in Atrio Trinitatis .* (9) *Ex altari D. Mariæ* del Pelagano *allatus .* (10) *Extat in domo D. Justini Rapollæ .*

C A P U T III.

Venusiæ Status Romano Imperio in Orientem translato , usque dum Barbari Italiam petierint .

CONSTANTINUS Romanum nactus Imperium, sepultis jam civilibus bellis , ut Præfecti Prætorii auctoritatem imminueret , qui primum post Imperatorem locum obtinebat , quatuor instituit Prætorio Præfectos , quorum tertio Italiam , Siciliam, cir-

circumjacentes insulas Sardiniam, & Corsicam, & Africam a Syrtibus Cyrenen usque commisit, (1) Huic vero aliud adjungens malo, quum Divi Diocletiani providentia Imperii Romani limites frequentioribus castellis, atque oppidis, crebrisque militum stationibus muniti essent, quæ præter quam murum adversus Barbaros constituebant, speculam, & tutamen Imperii erant: hoc sibi præsidium Constantinus revocans, iis in oppidis conlocavit, in quibus nil sane militum oportuerat; sicque barbaris gentibus, locos tutissimos habitabantibus, aditu difficillimos, numero frequentibus, feritate trucibus, maximo Italiæ periculo, liberum Ro. Imperio aditum præbuit. (2) Nec lethale hoc solum vulnus eo tempore Italia a Constantino excepit, divisio enim Imperii, quam tribus filiis ipse constituit, adeo Romanorum vires, & auctoritatem imminuit, ut Constantius ejus filius perpetratis jam in fratres, necessariosque flagitiis, atque Tyrannis sublatis, quum jam Franci, Alemanni, Saxones, aliæque barbaræ gentes Romanum undique invasissent Imperium, Julianum patruelem suum Cæsarem deligere coactus sit, qui adversus Barbaros pugnaret: a Persis enim ipse Constantius distinebatur (3).

Magnentio ab Constantio sublato, pax Italiæ fuit: verum qui Magistratus eam tunc temporis rexerint, difficile quidem dictu est, nam difficile ego adfirmarem Correctores, Consulares, Præsidesque eas tum obtinuisse Provincias, quæ in *Notita utrisque Imperii* ipsis adsignatas apparent. Diocletianus nova quidem in Romanis Pro-

vinciis officia excogitavit, magistratuumque perturbavit ordinem. Lactantius enim auctor est. „ ;, Et ut omnia terrore complerentur, provinciæ „ quoque in frusta concisæ, multi præsides, & ;, officia plura singulis regionibus, ac pene jam „ civitatibus incubare, item rationales multi, „ & magistri, & vicarii præfectorum, quibus „ omnes civiles actus admodum rari, sed con„ demnationes admodum frequentes, exactiones „ rerum innumerabilium, &c. (4). Hoc etiam evincitur magnopere ex actis Martyrii Divi Felicis Thibarensis Episcopi, qui Venusiæ Diocletiano, & Maximiniano imperante martyrium egit, Constantio Chloro, & Maximiano Consulibus (5). Is ex Africa primum in Siciliam adactus, ex ea deinde in Apuliam translatus est. Actorum verba sunt. „ Postea fretum navigaverunt in partes „ Lucaniæ nomine Rulo, inde profecti sunt Ve„ nusium, quæ est Civitas regionis Apuliæ. Tunc „ Præfectus jussit Felicem de vinculis eripi, & „ dixit: Felix quare Scripturas Dominicas non „ das? aut forsitan non habes? cui respondit: „ Habeo quidem, sed non do. Præfectus dixit: „ Felicem gladio interficite. Felix Episcopus di„ xit voce clara: Gratias tibi Domine, qui me „ dignatus es liberare. Et ductus est ad passio„ nis locum (cum etiam ipsa Luna in sangui„ nem conversa est), die tertio Kal. Septem„ bris, „ (6) Nec solum Felix Martyrium tunc temporis Venusiæ obiit, verum etiam & alii, quorum sic vetus Kalendarium memorat. „ „ Venusiæ in Apulia natalis sanctorum marty„ rum Felicis Episcopi Africani, Audacti, &

„ Ja-

„ Januarii presbiterorum, Fortunati, & Septimii „ lectorum; qui tempore Diocletiani a Magde- „ liano Procuratore, multis diu vinculis, & „ carceribus in Africa, & Sicilia macerati; cum „ Felix nullatenus ſacros libros, juxta Imperato- „ ris edictum tradere voluiſſet, tandem occiſio- „ ne gladii conſumati ſunt (7). „

Certum igitur eſt, Diocletiano imperante, Præfectum Prætorii Venuſiæ ſedem habuiſſe: forte & eo commigraverat, ut Apulos Chriſti fidei magnopere addictos magis, atque magis terreret: tum enim & alii Martyres Venuſiæ necati ſunt. Ego quidem miror Apuliæ Correctorum nullam hiſce temporibus memoriam haberi; eos forte Diocletianus ſubſtulit, quum omnem Italiam Præfecti Prætorii curæ commiſiſet. Ceterum Diocletiano vita functo, antiquam magiſtratibus formam a Conſtantino redditam fuiſſe ex Aurelio Victore (8), aliiſque monumentis apparet.

At ego quidem puto Valentinianum Imperatorem illum Italiæ ordinem poſuiſſe, quem *Notitia utriuſque Imperii* exhibet, Zoſimi niſus verbis, qui hæc ſcribit: Λαβόντα δὲ τὰς ἐν Ἰλλυριοῖς πόλεις αὐτὸν, εἰς τὴν Ἰταλίαν διαβῆναι, καὶ τὰς ἐν ταύτῃ πόλεις ἔχειν ὑφ' ἑαυτῷ, μετὰ τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἐθνῶν, Ἰβηρίας τε, καὶ τῆς Βρεττανικῆς νήσου, καὶ Λιβύης ἁπάσης. τῆς τοίνυν ἀρχῆς οὕτω διαιρεθείσης, ὁ Οὐαλεντινιανὸς ἐμβριθέστερον τῇ ἀρχῇ προσελθὼν, ἄρχοντάς τε ἐν κόσμῳ προῆγεν, καὶ περὶ τὰς εἰς πράξεις τῶν εἰσφορῶν, καὶ τὰς ἐκ τούτων χορηγουμένας στρατιωτικὰς σιτήσεις, ἀκριβέστατος ἦν (9). De aliis enim Imperatoribus, nulla pene extat memoria, ut hoc etiam adfirmare valeamus. Eandem certe περίστασιν ad Gothorum uſque adventum perduraſſe mihi ſententia eſt, de quibus capite ſequenti.

CA-

(1) *Zosim. hist. lib. 2. cap. 33. edit. Jenæ 1739.* (2) *Zosim. lib. 2. cap. 34.* (3) *Zosim lib. 3. cap. 1. & 3.* [4] *Lactant. de mort. persequut. cap. 7. §. 4.* (5) *Baron. annal. Eccles. anno 302. n. 110.* (6) *Acta S. Martyris Felicis Episcopi integra Baronius habet anno 302. n. 133.* (7) *Baron. ann. 302. n. 124. in fin.* (8) *Aurel. Vict. in Hadrian. verum Victoris sententiam non quidem amplecterer, quum publica officia, quæ Hadrianus statuit, statim a posterioribus Imperatoribus immutata sunt. Hinc sententiam Cl. Maffei laudarem putantis de* minoribus *officiis Victorem loquutum: Pratillus in novo libro de* Camp. *Conf. pag.* 14. *nescio quid adversus hanc sententiam inepte scribat, verum omnes ineptias secum ipse se habeat: Maffei certe sententiam nullo pacto infirmat.* (9) *Zosim. lib. 4. cap. 3. vertit Leunclavius.* Se vero fortitum Illyricas urbes, in Italiam transire, atque urbes in ea sitas cum Translapinis nationibus, & Hispania, & Insula Brittania, totaque Africa juri suo reservare. Diviso in hunc modum Imperio; Valentinianus accepta severius gubernatione, magistratus recte, atque ordine constituebat: & in exactionibus tributorum, ac militaribus annonis, quæ inde suppeditabantur, rigidissimus.

CAPUT IV.

Qui primum Barbari Venusiam advecti sint, deque Venusiæ statu, Gothis Italiam obtinentibus.

VESEGOTHOS omnium primos violentas Venusiæ manus injecisse certum est, nam quum Alarico Duce Italiam pene omnem ex Alpibus

pibus Columnam usque incursarent, necesse quidem per Venusiam nostram viam ipsis fuisse. Verum Alarico in Brutiis extincto, quum Vesegothi ex Italia Ataulfo Duce excessissent, quievit paulisper Apulia, eo enim neque Hunni Attila duce, neque Rex Gizericus cum Vuandalis ex Africa adventavit. Ceterum ærumnosis illis temporibus non quidem bene Apulia se habuit, quum ex Imperatorum Procuratoribus idem pene malum sensiebat, quod abs ipsis Barbaris factum est.

Odoacer igitur barbarorum primus universam obtinuit Italiam (in carcere primum per injuriam Augustulo, Imperatorum in Occidente ultimo intruso) eam undequaque concursantibus Rugis, & Turcilingis, quorum Odoacer rex erat. Atque in universam dominatus est Italiam Odoacer annos septendecim usque quo Theodoricus Ostrogothorum Rex a Zenone Orientis Imperatore misso, eum Ravennæ obsessum, dolo demum interimeret. Tunc igitur universa Italia in Ostrogothorum ditionem cenceffit, qui eam annos sexaginta tenuere.

Neque Odoacer, neque Theodoricus Italiæ magistratus immutarunt, immo Theodoricus rex Romanorum leges perquam diligenter tutatus est, & licet nova protulisset edicta, Gothis suis potius, quam Romanis illa proposuit. Quum vero Gothi universam jam Italiam incolerent Italis permixti Gothum judicem ipsis singulis Civitatibus præfecit qui inter Gothos jus diceret. Ne tamen Italorum jura læderentur, si Gothum inter, & Romanum lis oriretur, Romanum sibi prudentem Gothus adsciscere debebat, sicque de lite

ju-

judicare: Italis vero inter se certantibus sui magistratus relicti sunt. Juvabit sane ex formula Comitivæ Gothorum, quam nobis Cassiodorus servavit, aliqua hic adducere. „ Necessarium il-
„ lum sublimem virum, bonis nobis moribus ha-
„ ctenus comprobatum ad vos Comitem desti-
„ nare, qui secundum edicta nostra inter duos
„ Gothos litem debeat amputare. Si quod etiam
„ inter Gothum, & Romanum natum fuerit for-
„ tasse negotium, adhibito sibi prudente Roma-
„ no certamen possit æquabili ratione destringere.
„ Inter duos autem Romanos Romani audiant,
„ quos per Provincias dirigimus cognitores: ut
„ unicuique sua jura serventur, & sub diversita-
„ te judicum una justitia complectatur univer-
„ sos (1). „ Ex his quidem judicibus ad Correctorem puto provocationem fuisse, ex quo demum ad Pretorii Præfectum.

Licet tamen eruditi omnes Theodoricum nihil ex Italis magistratibus immutasse scripserint, ego tamen hoc difficile credam: nam Cancellarios nostris Correctoribus ex Cassiodori libris primum adjectos video (2). Ceterum Gothorum regno sublato, eorum etiam magistratuum forma sublata est, in cujus locum nescio equidem quam Græci tum substituerint. Italiæ quidem regnum Græci brevi tenuere, abacti enim sunt ex eo a Langobardis, de quibus sequens erit sermo.

CA-

(1) *Cassiodor. Variar. lib. 7. ep. 3.* (2) *Cassiodor. Variar. lib. 11. 39; & lib. 12. num. 12. 14. 15.*

CAPUT V.

Græcorum, & Langobardorum in Italia Regnum.

JUSTINIANUS Romanorum in Oriente Imperator, ægre quidem ferens Italiam universam ab Gothis possideri, Belisarium virum strenuum primum, ac deinde Narsetem belli Duces in Italiam misit, qui Græcorum freti copiis Italiam Romano rursus nomini vindicarent. Diu certatum est cum Vitige primum, deinde Ildibado, ac demum gloriosissimo Totila, Gothorum regibus, quo tandem Langobardis juvantibus extincto (1), cum Teja etiam pugnatum est, quem noviter Regem sibi Gothi delegerant. Quum vero Teja etiam pugnans cecidisset, Gothi qui in supremam Italiæ partem a Græcis conjecti fuerant, Buccelinum, & Leutharium Francorum Duces in Italiam acciverunt, qui gentis suæ, & Alamannorum infinitas pene copias ducentes, Italiam universam undique vastarunt. Buccelinus enim inferi maris oram, & Leutharius superi incursantes, urbes, oppida, villas, ceteraque, deprædatas, ac populatas prius, igni demum tradiderunt (1).

Supremum igitur pene tunc temporis Venusiam nostram suum fatum obiisse facile credam, populatæ enim erant Apuliæ urbes Græcorum,

 Go-

Gothorumque acerrimis diutinisque bellis, qua de caussa, neque agri colebantur, & quæ jamdudum fuerant frequentissimæ Urbes, paucis quidem habitabantur civibus, ut eas in vicos abiisse facile crederes: potentiores enim cives ad oppida loci natura magis munita confugiebant, patrias sedes barbaris relinquentes. Tunc igitur sane Acherontiam, & Consiam ex Venusinis magnopere adauctas fuisse credendum est, hæ enim Urbes, quum in montibus positæ sint, magis quidem natura munitæ erant: Venusini, ceterique eo advenientes, quum muris, & Castellis eas muniissent, tutissimas pene arces jam reddiderant. Illis etiam periculosissimis temporibus Garganam Civitatem primum ædificari inceptam, & Jani in Gargano Aram primum ab Apulis inhabitatam fuisse facile crederem.

Francorum, Alamannorumque itaque Duces, universa populata Italia, dum præda onusti patrias sedes petere tentant, Narsetis opera Buccelinus bello, Leutarius morbo in Italia vitam finiunt. Tum igitur Narses, Francis primum, & Gothis deinde superatis, Italiam universam, barbaris omnibus expulsis, Romano restituit Imperio, quod Christi demum anno DLV. factum est (3).

Tresdecim insuper annos universam Italiam Græci tenuere, usquequo Langobardi, qui Pannoniam tum temporis incolebant a Narsete acciti eo venientes, universam pene dominati sunt. Horum gens e Scandinavia (4) primum profecta in continentem ausa sedes transferre, Justiniano imperium obtinente, Pannoniam usque devenerat, quam bello primum vastans, annos deinde

de duo & quadraginta dominata est (5). Langobardis in Italiam irruentibus, Græci undequaque expulsi sunt, quibus ad maritimam solum oram urbes paucæ remansere: testatur enim Constantinus, Langobardos omni Italia potitos, ἀνὰ τῆς Ὑδρεντοῦ, καὶ Καλλιπόλεως, καὶ τοῦ Ῥουσιάνου, καὶ τῆς Νεαπόλεως. καὶ τῆς Γαΐτης, καὶ Συρεντοῦ, καὶ Ἀμάλφης (6). At præter has urbes primis Langobardorum temporibus certum est Peucetiam omnem Græcis relictam, nec enim statim, ac Langobardi in Italiam adventarunt Tarentum expugnarunt.

Venusiam nostram tum temporis Langobardis paruisse facile crederem, quum certum sit maritimam solum Apuliæ oram Græcos tenuisse: at nobis mirum sane est neminem Langobardarum rerum scriptorem Venusiæ nostræ Langobardos primis temporibus potitos, scripsisse; atque in Radelchisii *Capitulari*, quum Salernitanus Princeps Siconulfus, Beneventanusque Dux universas suas Provincias inter se sibi dividunt, de Venusia nostra haudquaquam memoratur (7). Dubii quidem fuimus, num & suam αὐτονομίαν his primis Langobardorum temporibus Venusia servaverit, verum, quum de hac re nullum extet argumentum, nihil equidem adfirmo. Igitur in Beneventanum Ducatum concessisse certum est, quum ejus *Gastaldi* in historiis proferuntur, de quibus mox dicemus.

(1) *Procop. de bell. Gothic. Agathias de bello Goth. & Wandalic. Jornandes de reb. Getic. Histor. miscell.*, a innumeri pene alii de hoc bello scripsere. (2) *Paul. Diac. de Gest. Langob. lib. 2. cap. 2.* (3) *Id. Paul. loc. cit. cap. 3.* (4) *Paul. Diac. lib. 1. cap. 2.* (5) *Paul. Diac. lib. 2. cap. 6.* (6) *Constant. Porphyrog. de Administrat. Imper. cap. 27. edit. Lugdun. Batav. 1617.* (7) *Hoc capitulare habes in tomo 3. Hist. Langobardorum, quam, jam pridem a Camillo Peregrinio editam, novis monumentis & historiis auctam nimio labore edidit his proximis annis Franciscus Maria Pratillus.*

CAPUT VI.

Constantis Orientis Imp. in Italiam adventus. Saraceni Venusiam discerpunt, quam Lodovicus II. Occidentis Imp. restituendam curat.

CONSTANS Romanorum Imperator, quum ob morum iniquitatem a Constantinopolitanis suis maximo haberetur odio, imperii sedem in Italiam transferre conatus est (1): qua de caussa Christi anno DCLXII Tarentum adortus ex eo Beneventani *Ducatus* fines ingressus est, quos atrocissimo bello vastans Beneventum usque pervenit (2). Certum quidem mihi est Venusiam tum temporis in Constantis ditionem concessisse: monent enim illius ævi Scriptores, omnes eas ur-

urbes Constantium cepisse, per quas ipse Beneventum usque devenerat (3). Acheruntiam primum Constantius obsedit, ex qua Luceriam contendit, facile igitur, & per Venusiam ipsi iter fuisse credendum est. Verum duos post annos quum Constantius ex Italia excessisset, pax undique Apuliæ fuit, quum jam rursus Langobardi eas obtinuissent urbes, quas bello Constans ipsis ademerat.

Langobardorum civiles, atque intestinæ discordiæ, quæ Apuliam sæpe sæpius agitarunt, eo demum adductæ sunt, ut Saracenorum Phalanges ex Sicilia accirentur (4), quæ statim ac Barium appulerunt, dolo ea potiti sunt Urbe, ex qua deinde ingentia Apulis mala intulere. Et sane quidem anno DCCCLI, quum Apuliam, Calabriam, & Campaniam incursarent, Venusiam nostram undique perdiderunt igne, atque ferro eam vastantes: populatam vero non reliquerunt, sed belli arcem constituentes, in eam per annos quindecim dominati sunt, usque dum ex eo Lodovicus Romanorum in Occidente Imperator abigeret (5).

Igitur ut Langobardi Saracenos tam in Beneventano ducatu grassatos videre, Lodovicum II. Romanorum in Occidente Imperatorem crebris nunciis postularunt, ut quam cito Italiam liberandam susciperet (6). Ex quo factum est, ut Lodovicus copiis quamplurimis sibi adscitis sequenti anno Italiam penetraret, atque Saracenos ad Luceriam primum adortus, licet male adversus eos pugnasset, bellum tamen ad Aufidi ripam rursum movens eos ad internecionem usque profligavit (7). Lo-

Lodovicus itaque Saracenis trucidatis omnes Apuliæ urbes, quæ ab ipsis occupabantur, liberan- liberandas petiit, quibus maxima parte receptis, Venusiam nostram demum contendit, atque in ea castrametatus est. Quum vero munificentissimus Imperator Urbem tam magnam tam fœde a barbaris deperditam cerneret, regia magnanimitate motus eam renovare cœpit, Venusinos undique concitans: auctor est Herchempertus, *Tum venit Venusiam, castramentusque in ea, cepitque renovare* (8): quod quidem anno DCCCLXVI accidisse certum est. Atque mirum sane est omnes illius ævi Scriptores de Lodovici Venusiam adventu meminisse, quoniam nempe Imperator ad urbem omnium celeberrimam venisset, immo Leo Ostiensis auctor est Lodovicum militum præsidium ad urbis custodiam Venusiæ reliquisse. At Venusini quum Lodovicus ipsis propriam restitueret patriam, grati animi ergo monumentum posuere, quod adhuc extat his verbis (9).

STIRPS LODOVICVS FRAN
CORVM VRBIS AMICVS
DVM FVERIS SEMPER
REGNABIS IVRE POTENTER

Quievit paulum Venusia, verum eam Langobardis obtinentibus, sæpius Agareni, sive Saraceni petierunt, usque dum Normanni Apulia potiti eos funditus perdiderunt. Non sunt nobis quidem Saracenorum historiæ conscribendæ, ut quoties, & quibus artibus Venusiam vastaverint, demonstraremus, formam enim propositi excederemus operis. GA-

(1) *Paul. Diac. lib.* 5. *cap.* 4. *De Constantis adventu vide Baronium*, *& Pagium*. (2) *Anastas. Biblioth. in Vitalian.* (3) *Paul. Diac. loco citato*. (4) *Herchempert. cap.* 16. *habes in primo Tomo Script. Lang. nuper a Pratillo editi*. *Ignoti Cassinensis Historiola cap.* 4. *eod. Tomo*. (5) *Herchempert. cap* 34. *Anonym. Salernit. cap.* 116. *To.* 3. *hist. Lang. a Pratillo edit.* (6) *Histor. Ignoti Cassinens. cap.* 5. (7) *Chronic. Cavense ad ann.* 866. *a Pratillo To.* 4. *edit.* (8) *Erchempert. cap.* 33. *Leo Ostiensis lib.* 1. *cap.* 35. (9) *Extat in Monasterio D. Augustini prope scalas*. *Inscriptio quatuor distincta est versibus*, *pregrandioribus litteris Langobardicis*.

CAPUT VII.

An Venusia suos Gastaldos obtinuerit. Græcorum in ea Dominium.

QUANQUAM intelligo mihi in tam præcipiti festinatione, qua in hoc postremo libro scribendo sum usus (tanti enim temporis historiam tribus complexus sum chartis) necessaria magis præteriisse, quam supervacanea complexum esse, illud tamen nullo pacto prætermittendum est, ut nostræ scilicet Urbis *Gastaldorum* memoriam parumper stylo signemus, atque Græcorum in ea Dominium, sicque incepto, Deo auspicante, finem imponere operi. Omnes pene Langobardorum Historiæ auctores percucurreram, Ga-

Gastaldorum Venusinorum memoriam quærens; & sane disperieram, cum demum in Cavense Chronicon, nuper Francisci Mariæ Pratilli opera editum (1), incidimus, atque in eo ad annum DCCCXVIII. hæc scripta comperimus. „ Sico „ nuncios suos misit in Francia ad Lugduicum „ Imp., Rathpertum nempe Gastald Venusiæ, „ & Risonem consanguineum ipsius Principis, „ qui dona multa illi ferentes, de nece Grimualt „ eum excusarent, ne Imp. iram incurreret. Quod „ & optentum est per illos, & cum magna læ„ titia reversi sunt. „ (2) Alios insuper Gastaldos Venusiæ sequioris ævi invenimus, his vero relictis, solum hic monere duximus ejus tum temporis dignitatis Venusinum Gastaldum fuisse, ut in legationem ipse cum Principis consanguineo mitteretur. Ceterum licet tum temporis Saracenorum opera omni ex parte excisa Urbs nostra esset, illustribus tamen viris magnopere claruit, fuere enim tum inter Venusinos cives Severinus, & Heribaldus Gregorii IV. *Papæ* consanguinei (3): fuit & Indulfus Venusinus, ipse & Comes Venusiæ, qui Gisulfum Principem suum consanguineum deprecatus est, ut *SS. Trinitatis Monasterium* construeret, in quo ipse Indulfus deinde Monasticam vitam professus est (4). Neque hic nobis juvat recensere, quot viros, aut heroas barbaricis illis temporibus ex nostra urbe profecti sunt, propositi enim operis, ut sæpe diximus, formam excederemus.

Postremo igitur loco sciendum est, Græcos nono abeunte Christi sæculo Beneventano Ducatu potitos fuisse, quem, quum postea amiserint, par-

partem tamen ejus diu tenuere. Tum certe etiam & Venusia nostra in Græcorum ditionem concessit, quorum adhuc Venusiæ memoria superest his literis (5)



Epigraphem, cujus hoc superest fragmentum, nono omnino sæculo constructam fuisse, præter literarum barbaros nexus, *Indictio septima*, qua notatur, apprime demonstrat. De Indictione nobis neque lubet, neque vacat aliquid dicere, potissimum quum hisce nostris diebus Excellentissimus Aquariæ Dux Trojanus Spinellus optimis studiis, maximoque ingenio instructissimus tanta *de indictionibus* adversus Mabillonii, ac Muratoris sententias conscripserit, ut posteris nil pene hac de re intentatum reliquerit.

Græcos ex Benevento Guido Spoleti Dux Guaimario Salerni Principi adjunctus abegit anno DCCCXCVI. Verum quo tempore & Venusiam nostram Longobardi sibi rursus vindicaverint, adhuc dubium est; illud quidem compertum habeo Græcos, & Langobardos diu Apulia potitos fuis-

 se,

ſe, uſque dum Normanni Apulorum opera ex Gallia venientes eos omnino perdiderint, & Apulûm glorioſiſſimum Regnum, Græcis, Saracenis, & Langobardis profligatis, conſtituerint.

(1) *Extat Tomo IV. Hiſtor. Langobard.*, *quam Pratillus edidit pag.* 386. (2) *pag.* 260. (3) *Id. Chronic. anno* 884. *pag.* 393. (4) *Id. Chronic. anno* 912. *pag.* 413. (5) *Extat in æde D.Joannis Baptiſtæ*, *in pariete*, *dum deſcenditur* al Soccorpo, *ad viam*.

F I N I S.



ASCULANENSIUM ANTIQUITATES

AD

EXCELLENTISSIMUM VIRUM

NICOLAUM MARULLUM

ASCULANENSIUM DUCIS

FRATREM.



EXCELLENTISSIMO VIRO

NICOLAO MARULLO

Asculanensium Ducis Fratri,

NATALIS MARIUS CIMALIA

S. D.



IRARIS forte NICOLAE EXCELLENTISSIME, annum jam excessisse, ex quo antiquæ Asculanesium memoriæ, a me tua, ac FABRICII fratris tui optimi ope collectæ sunt; & de Asculo tuo ne verbum quidem me usque adhuc commentatum esse: atque omne, quod vacarit tempus ex forensibus studiis, domesticisque curis, continuo ad inlustrandam Venusiam sedulo contulisse. Miraris quidem, verum id tamen accidit, quod tanta nos Venusinorum invenimus monimenta, ut etiam nunc prisca Urbis magnitudo

tudo ex eis appareat, & a nobis trium ferme librorum commentaria exegerint: Venuſinorum inſuper nos movit barbaries, qui ſuas glorioſiſſimas ævitates jampridem a Barbaris diſcerptas, adeo undique perdunt, atque Orco tradunt, ut mox antiquæ Venuſiæ nomen nobis ſolum ſupererit: tantum enim ſuas antiquitates ignorant, ut Statuam Hiſpana veſte celatam mihi commoſtrarint, Horatium eam putantes. Quæ, quum ita ſint, me magis, atque magis impulerunt, ut ad Venuſiam illuſtrandam animum converterem, quum Aſculum te optimum Patronum obtineat vita innocentiſſimum, ingenio florentiſſimum, propoſito ſanctiſſimum, tantis denique adornatum virtutibus, quantas perfecta natura, & induſtria mortalis conditio recipit, ut Aſculum tuum nedum ad priſtinam faciem continuo revocas, verum etiam tua præſtantiſſima opera, ad illud brevi eam advehes rerum faſtigium, ut mox cum glorioſiſſimis Græcorum, Italorumque Civitatibus comparatura evadet.

Quum vero nuper reſciverimus vetuſta Aſculanenſium monumenta ab ignaris Civibus quotidie lacerari, quorum deſcriptiones maxima a nobis diligentia adſervantur, ne eorum apud te memoria delitefcat, deſcriptiones ideo tibi reſcribimus, ſimulque de eis noſtram ſententiam, ut intelligas, nedum Venuſiam, ſed Aſculum etiam tuum proximo anno a forenſibus ſtudiis nos aliquando ſevocaſſe.

Aſculum antiquiſſimum Dauniæ oppidum fuiſſe apud omnes adeo conſtat, ut nobis ſententia fuerit Aborigenum omnino κτίσμα fuiſſe. Plerique di-

dictam putant ἀπὸ τοῦ שכל , ex quo fit אשכול, quod nempe locus, quo nunc Asculum est, optimis abundaret vineis, quod mihi absurdum videtur, potissimum quum loci naturam considerassem. Igitur Asculum ego dictum puto ex *Esculo*, quod ex *Esu* factum Servius (1) admonet, licet Isidorus ex *Esca* dictum putet: meam quidem sententiam Horatius firmat, quum Apuliæ Esculeta recenset:

Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit Esculetis. (2)

Esculum porro arbor est glandifera perquam similis *Quernæ*, ut eandem pene esse pateat, quum Latini, Græcique Scriptores eas confuderint. Jovi Quercus sacer erat, qua de caussa Phædrus ait (3)

Dii legerunt arbores: Quercus Jovi,
Et Myrtus Veneri placuit, &c.

Et Ovidius: (4)

Hæc sacra Jovi Quercus de semine Dodonæ

Quærcum, quæ Jovi sacra erat, Plinius (5) *Esculum* vocat. *Arborum genera numinibus suis dicata perpetuo servantur: ut Jovi Esculus, Apollini Laurus, &c.* & hac sane arbore magnopere Daunia abundat, qua ex caussa ab *Esculo* Asculi tui nomen dictum putamus, quum locus, quo primum urbem sive Arborigenes, sive Ausones, sive Phœ-

Phœnices condidere, Efculis mire abundaret.

Quæres nunc, Nicolae optime, quos ego primum Afculo tuo adfignaverim conditores, qua in re aquam mihi hærere fateor, Etrufcum quidem monumentum, quod nos Afculo his literis infcriptum comperimus (6)

JOΛ OIJVYIΛ2S

Etrufcos, five Pelafgos Afculi conditores demonftrat; verum quid nos ea de re adfirmabimus, quum Phœnicum pleraque nomina Apuliæ adhuc fuperfunt, & primum ipfa Daunia, ex די־כנה dictam videtur, & Apuliæ nomen ex הפול omnino factum apparet, פול enim ex נפל factum effe eruditi demonftrarunt, ex quo ego factum puto, quod quum in Ezechiele legatur מאיי כתים, Chaldæus verteret ממדינת אפוליא: Bochartus Ezechielem de Corfica, Sardinia, & Scilia loquutum cenfet, verum falfum effe ego puto, Hebræis enim אי nedum *infula* eft, verum etiam *regio*, *provincia*, & peninfula, & Buxum quam Ezechiel memorat ex Matino eft, unde Lucano funt *Buxeta Matini*. (7)

Afculum Dauniæ regibus primis temporibus paruiffe facile credo: verum Dauniæ regno extincto, in eandem evafiffe conditionem putamus, ac reliquas Dauniorum urbes. Tum certe primum Afculum claruit, quum adveniens ex Græcia Pyrrhus, atque eam prope caftrametatus, urbem clade fuorum nobilem fecit: bis apud Afculum pugnatum, prior fane pugna profpera omnino Roma-

manis fuit, ingentes enim vepres, atque ſpiſſa arbuſta, quæ circa flumen erant, elephantibus ad pugnam aditum ademit, ex quo factum eſt, ut Pyrrhi copiæ profligarentur: nox tamen pugnam diremit, cujus beneficio ex nemoroſis locis copiis abductis, meliori loco eas diſpoſuit. Bellum cum Romanis diu anceps commiſſum eſt, at demum qui Pyrrho oppoſiti erant, terga vertentes Pyrrhum victorem fecere. Verum hac de altera pugna dubitationem Plutarchus affert, & Dionyſium Romanarum rerum Scriptorem teſtatur: Ὁ μέν τοι Διονύσιος οὔτε δύο περὶ Ἄσκλον μάχας, οὔτε ὁμολογουμένην ἧτταν ἱστορεῖ γενέσθαι Ῥωμαίων. (8). Cum igitur de hac altera pugna non liquido conſtaret, Florus in ſuis Hiſtoriis eam reticuit. Ceterum ſive duo, ſive unum fuerit prælium, certum ex Frontino eſt (9) illo atrociſſimo bello Samnites, Lucanos, Brutios, Salentinoſque pro Tarentinis adverſus Romanos dimicaſſe.

Annibalicis, ceteriſque bellis intra Italiam peractis, latet nobis profecto, Nicolae excellentiſſime, Aſculanenſis urbis fortuna: ceterum Annibale ex Italia profecto, Aſculanenſem agrum militibus veteranis diviſum fuiſſe apparet, nam omnis fere Apulus ager publicus Populi Romani factus eſt lege belli, quum jam Apuli omnes ad Annibalem deſciverant. Licet tamen Aſculanenſis ager veteranis tum diviſus fuerit, non ideo Romanorum Coloniam Aſculum deductam putandum eſt, qui enim veterani Aſculanenſem agrum recepere, non quidem ex Romana urbe deducti ſunt: qua de cauſſa Livius, ceterique Aſculum coloniam deductam haudquaquam adfirmant.

Igitur, vel C. Gracchum, vel Livium Drusum Asculum Coloniam deduxisse tenendum est, eo enim postremis reipublicæ temporibus Romanorum Coloniam deductam fuisse hæc epigraphe dedemonstrat (10).

ascul ANENSIVM
colo NIA
.... PAT. COL. QVI. OB
. ob . quin QVENNALITAT
.... viam PER. XXXXIIII. PASSVVM
. munifice NTIA. DIVI PII PATRIS
.... DEC. DEC. STRAVIT
.... DONITAN

duabus primis lineis *Asculanensium Colonia* inscriptum fuisse manifestum est: & rursus tertia, *Patrono Coloniæ*. At ni junior Gracchus, vel Drusus Coloniam deduxerint, Octavium sane Cæsarem militarem Asculum Coloniam deduxisse tenendum est, potissimum quum de eo Appianus testetur, præter veteranos, quos in octodecim urbes jampridem destinatos colonos deduxit, Italorum urbium agros quatuor, & triginta legionibus divisisse (11).

Ex adducta præterea ἐπιγραφῇ Asculanenses tuos nunquam *Asculanos* dictos certum est, quum Asculani sint in qui, Piceno habitant: nulli igitur dubium erit, quin Minatium Magium Velleji Paterculi atavum Asculo tuo ortum esse credamus, de eo enim hæc Vellejus prædicat. " Neque ego, „ verecundia domestici sanguinis gloriæ quidquam, „ dum

„ dum verum refero, ſubtraham. Quippe multum Minatii Magii, atavi mei Aſculanenſis „ tribuendum eſt memoriæ, qui nepos Decii „ Magii Campanorum principis celeberrimi, & „ fideliſſimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem præſtitit, ut cum Legione, quam ipſe „ in Hirpinis conſcripſerat, Herculaneum ſimul „ cum T. Dido caperet, Pompejos cum L. Sulla oppugnaret, Coſamque occuparet. Cujus „ de virtutibus cum alii, tum maxime dilucide, „ que Q. Hortenſius in Annalibus ſuis retulit. „ Cujus pietati plenam Populus Romanus gratiam retulit ipſum viritim civitatem donando, „ duos filios ejus creando Prætores, cum ſeni „ adhuc crearentur. “ (12) Et quidem ſane ego puto Capuam, Annibalicis bellis exactis, in Præfecturæ conditionem redactam Magios, alioſque Proceres deſeruiſſe, ne qui modo Romanos fieri conſules petierant, Romanorum Præfecto obtemperarent. Sociali atrociſſimo bello Minatius Magius Romanorum partes ſtrenue quidem tutatus eſt, at reliqui Aſculanenſes Appulis, aliiſque ſociis Italici nominis adjuncti bellum adverſus Romanos paravere, quà de cauſſa Aſculanenſem agrum ab Coſconio vaſtatum Appianus prodit. καὶ ὁ Κοσκόνιος τὴν Λαρινναίων, καὶ Οὐενουσίων, καὶ Ἀσκλαίων γῆν ἐπιδραμὼν ἐς Ποδίκλους ἐσέβαλε. (13). Atque hæc ſunt, quæ de Aſculo tuo ab antiquis rerum Romanarum Scriptoribus nobis tradita ſunt.

Non equidem abs re mihi diſſonum videtur paucis nunc percurrere ea, quæ de Aſculanenſi agro Frontinus in libro de Coloniis prodit, qui lege Sempronia, & Julia ipſum adſignatum profert. „ Ager Auſculinus lege Sempronia, & Ju-

„ lia est assignatus, ubi est Decimanus in Orien„ te, Kardo in Meridiano: finitur per terminos, „ & terrarum tumores aliquibus locis arboribus „ antemissis, & viis, sed & collectione pe„ trarum: in centuriis singulis jugera CC. (14) alibi etiam hoc sæpe dicit, nos vero de Asculanensis agri finibus in antiquitatibus Venusinis exponendis disseruimus. Ex adducto præterea Frontini loco illud manifestum est, quod libro secundo Venusinarum antiquitatum adversus cl. viri Alexii Symmachi Mazochii sententiam scripsimus, putat enim vir summus Sullam Romanorum Coloniam Capuam deduxisse, quoniam Frontinus de Campano agro ait *Lege Sullana adsignatum fuisse*: quæ si ita essent, & Asculum Romanorum Coloniam advectam C. Sempronio Gracccho duce putandum esset; et nobis quidem ex Appiano aliisque certum est, neque Colonias Sempronium Gracchum deduxisse, neque agros divisisse, licet agrariam ipse protulerit legem, & Triumvir agris dividundis crearetur, igitur *Sullana*, vel *Sempronia lex* omnino aliud, ac Romanorum Coloniæ deductionem denotat. Frontinus Asculalensem agrum, *Ausculinum* scribit, & Plinius Asculanenses nostros *Ausculanos* (15) vocat, quam nominis mutationem, ni Romani ipsi posteriore ævo fecerint, ut Asculum Apulum a Piceno distinguerent, librariorum quidem imperitia accidisse adfirmaverim. Florus quidem, & Frontinus in *stratagematum libris Asculum* habent, Appianus, Plutarchus, & Zonara Ἄσκλον; quod si Plinii, & Frontini in libro *de Coloniis* lectio verior esset, Αὔσκλον potius ab ipsis scribendum fuisset: tu igitur, Nicolae optime, cave, ne Asculanenses tuos *Ausculanos* unquam dicas. Mo-

Monumentum quod de Asculanensi Colonia memoratur M. Aurelii Philosophi ævo constructum esse apparet in honorem cujusdam Coloniæ Patroni, cujus nomen, uti vides, deperditum est, qui ob quinquennalitatem adeptam ex Antonino Pio forte impetraverat, ut Asculanensibus pecuniam largiretur etiam ad publicos usus, quam impertiri cum aliis Civitatibus jam solitus Antoninus fuerat. Quinquennalitas hic censorium certe erit munus honoris caussa Coloniæ Patrono ab ipsis Asculanensibus delatum.

Aliud præstantissimum extat monumentum, quod de Minatio quodam loquitur, qui in viis etiam publicis strandis sextertia bis centum, ac mille impendit, verum nescio an sua, vel publica pecunia: (16)

... E MINATIVS
... BITVS V. C.
... EX. D. D.
... AD STRATAM
... FENIC. HS ∞CC

Hunc forte Minatium Asculanensium Coloniæ etiam Patronum fuisse putandum est. Reliquæ quidem inscriptiones, quas invenimus, sepulchrales quidem sunt, atque ita se habent. (17).

LAO

..... LAO OI... AIG....
..... CHRESTINI. MATR...
..... ANTERONI. COLBEF...
..... DE SVA. P.F.C.

(18) SEX. TVSSIDIO. FELICI
TVSSIDIA FORTUNATA
ET. T. CERRINIVS FELX
MISERRIMI. PARENT
DEBVIT. HIC. ANTE
sic
PATER. OS SEPELIRE
.... ARENTES
... XIT. ANN. XX.

(19) D. M.
C. VANO. PROCV
LO. PATRI. C. M
RIUS CRESCENS
sic
BENEME ME
RENTI FE
CIT

D.M.

(20) D. M.	(21) ... AINIO IPTI
SECVND...	.... SVRCO
QVEI OB...	.... N
M... GRITAT...	.... M....R.
... N... SERVAT...	... OV... BOVI
... M. S. PRI....	... VIXIT A-
... VS. CONSI...	NNIS XXX
....	..... AVT....
	....

Nec ſane aliæ antiquorum Aſculanenſium memoriæ ſuperſunt: duo enim milliares cippi, qui Aſculo nunc ſervantur, ad Aſculanenſes quidem non pertinent, & binæ columnæ, quæ τὸ ΔΗΛΟΣ inſcriptum habent, ex Delo forte inſula allatæ ſunt, at ego nihil in eis, quod Aſculanenſium hiſtoriæ proficiat invenio. Quæ vero Aſculanenſium fuerit fortuna, Barbaris Italiam irruentibus, nec quidem ſane tam brevis eſt, ut tribus exponi chartis poſſit, nec quidem epiſtolæ ratio, ut aliquid de ea dicatur, patitur.

At demum non tanta Aſculanenſibus tuis gloria erit urbis ſuæ incomperta antiquitas, ingentes Pyrrhi exercitus fugientes Rom. virtute profligatos viſiſſe, Romanos Colonos recepiſſe, & tot barbarorum reſtitiſſe bellis, quanta ipſis gloria eſt glorioſiſſimæ genti tuæ nunc pārere, quæ quum jam pridem Romana Republica declinante præcipuos obtinuiſſet Magiſtratus Conſularis demum Comodo Imperante facta eſt, atque nunc quidem hæroas quamplurimos obtinet, quorum glorioſiſſima geſta immenſis voluminibus indigerent,


rent, si chartis mandari vellent. Vale igitur, Nicolae jucundissime, & illis profecto studiis, de quibus, quum tecum Asculi fueram, sermones sæpe inciderunt nostri, scito me magis, atque magis animum applicuisse. Oh quantum jucundiora erunt, quæ quum primum te videro, tibi, & Brigantio tuo dicam.

Neapoli Kal. Jul. MDCCLVII.

---

(1) *Serv. ad. Georg. 2. vers.* 290. (2) *Horat. carm. lib.* 1. *od.* 22. *vers.* 13. (3) *Phaedr. fabul. lib.* 3. (4) *Ovid. Metamorph. lib.* 7. (5) *lib.* 12. *Cap.* 2. *vers.* 4. *pag.* 254. (6) *Extat in solo Claustri Coenobii Augustinianorum.* (7) *Lucan. Pharf. lib.* 9. (8) *Plutarch. in vita Pirrhi edit. Francfort. pag.* 396., & 397. (9) *Frontin. lib.* 1. *cap.* 3. (10) *Nell' angolo dell' antica Catedrale sotto al campanile* (11) *Appian. Civ. lib.* 5. (12) *Vellej. Paterc. lib.* 2. *cap.* 16. (13) *Appian. Civ. lib.* 1. *pag.* 644. (14) *Frontin. de Col. pag.* 126. *vide etiam pag.* 110. (15) *Plin. lib.* 3. *cap.* 16. *pag.* 167. *vers.* 15. (16) *Lapis inter antiquæ Cathedralis rudera* (17) *Eodem loco.* (18) *ad parvam portam veteris Cathedralis.* (19) *ad domum Josephi Galottæ* (20) & (21) *Inter rudera antiquæ Cathedralis.*

APULIÆ, ET DAUNIÆ
VETERIS
GEOGRAPHIA
AD
Illustrissimum, Præclarissimumque
VIRUM
CAROLUM
PAOLETTI.



APULIÆ, ET DAUNIÆ
VETERIS
GEOGRAPHIA.

Ad Illustrissimum, Præclarissimumque virum

CAROLUM PAOLETTI.



TSI tantis gravissimis tenearis curis, HUMANISSIME CAROLE, quantæ disertissimo cuique, atque omnium optimo Patrono decent, ut neque domestica etiam curare valeas: hunc tamen nos tibi scribimus geographiæ libellum, geographicis munitum tabulis, quod sane neque illepidum neque inelegans tibi erit, quum de ea sit regione, quo proximo vere tu concessisti, me jampridem tibi comite adjuncto. Brevis adeo liber est, ut una minus tu percurras hora, quam uti soles forensibus curis subtractam Musarum otio libenter suppeditas, pristini jam memor laboris, quum tota die priscorum impallescens chartis tantam ex Musis eloquentiam,

 tiam,

tiam, atque doctrinam mutuatus sis, ut merito cum Græcorum, Romanorumque gloriosissimis Patronis nunc compareris.

QUÆ ITALIÆ PARS APULIA DICTA FUERIT.

Regionem omnem ad superum Italiæ porrectam latus Frentone flumine, & Salentino comprehensam Promontorio, quam Ἰαπυγίαν Græci dixere, pluribus constitisse gentibus antiqui jam omnes nobis tradiderunt, eam enim Apuli, Daunii, Peucetii, sive Ποιδίκλοι, Calabri, Messapii, & Salentini incoluere, qui suum quique nomen regioni, quam habitarunt, indidere. At Apuliæ solum nomen latius sæpe acceptum est, ut Apuliam, Dauniam, & Peucetiam plerumque complexum fuerit, potissimum quum Italia fere omnis in Romanorum ditionem concessit: & Langobardorum demum temporibus Calabri, & Salentini Apuli etiam appellati sunt. Nobis hic solum eorum describenda est regio, qui Apuli, & Daunii jampridem sunt appellati, prius quam Romani cum ipsis bellantes libertatem, & potentiam ipsis ademerint: igitur non erunt hic nobis persequendi limites, quos Romanorum Imperatores Apuliæ statuere, qui eam Beneventum usque protenderunt, Campaniam conterminam designantes. Qua in re monendum omnino est omnes ferme Geographiæ Scriptores Apulos, Daunosque eamdem gentem putantes, nedum diversos ipsis unquam constituere fines, sed Apuliam etiam, atque Dauniam unicam fecere Regionem. At nos, disertissime Carole, comu-

ni



VM

P.G

ont Gar

Vria

Lacus Ουριανος

nunc. Varanus

asus

CVM

ntia

Milliar

10 20 50

Stadi

20 40 80

sculp.

ni adversantes errori, primum quæ fuerit Apulorum terra, quæ oppida, & quos fines obtinuerint recensebimus, deinde de Dauniis sermonem instituemus.

APULIA.

Et primum quidem Apulos a Daunis distinctos fuisse, nemo Strabone clarius nobis demonstrat, quum ait: τὴν δὲ συνεχῆ Δαύνιοι νέμονται: εἶτα Ἄπουλοι μέχρι Φρεντανῶν. & deinde de eis latius: Μεταξὺ δ' εὐθὺς ἀπὸ τοῦ Γαργάνου κόλπος ὑποδέχεται βαθύς. οἱ δὲ περιοικοῦντες, ἰδίως Ἄπουλοι προσαγορεύονται· εἰσὶ δὲ ὁμόγλωττοι μὲν τοῖς Δαυνίοις, καὶ Πευκετίοις. At Apuliæ certos (quæ sive ab Apulo dicta est Rege, sive ab Hebraica voce הפל) fines quidem statuere adeo difficile est, ut nostrorum nemo adhuc usque eos stylo signaverit, potissimum quum Strabo, Mela, atque Plinius inter se aperte adversentur. Strabo enim Garganum Promontorium Daunios, Apulosque inter finem statuit, & a Frentanis Frontone divisos amne demonstrat, ex Pantano enim lacu ad Frentanos παράπλουν fuisse scribit, & ad Bucam eorum oppidum. At contra Plinius latius Apulorum designat limites, quum Cerbalum Dauniorum finem fuisse testatur, & Apulorum terram ad Tifernum usque amnem protendit: sunt ejus verba: " Hinc Apulia Dauniorum cognomine, a duce Diomedis socero. In „ qua oppidum Salapia Hannibalis meretricio amo„ re inclytum: Sipontum, Uria: amnis Cer„ balus Dauniorum finis: portus Agasus, promon„ torium Montis Gargani a Salentino, sive Ja„ py-

„ pygio CCXXXIV. M. pass. ambitu Gargani :
„ portus Garnæ , lacus Pantanus , Flumen portuosum Frento , Teanum Apulorum : Itemque Larinatum Cliternia : Tifernus amnis : inde regio Frentana...... Dauniorum præter supradicta coloniæ Luceria Venusia. " Vides his Plinii verbis omnes antiquorum historias adversari, neque enim Uriam Sipontum sequitur ante Gargani ambitum; neque Cliternia Larinatum fuit, neque quidem Apulorum : & ipse Plinius in quartam deinde Italiæ regionem conjicit, & Frentanis restituit. Sipontum præterea nunquam Apulis tributum est, & hac quidem in re minus sibi constans esse Plinius videretur, quum enim Dauniorum Colonias recenset Luceriam, & Venusiam, ait *præter supradicta*, & quidem antea Sipontum, & Salapiam Dauniorum Colonias descripserat : Luceriam porro Apulis etiam Plinius tribueret, si Cerbalus Dauniorum finis esset, quod ipse apertissime negat. Cellarius quum nesciret Daunios ab Apulis distinctos fuisse, Plinium Cerbalum inter Hirpinos, & Daunos finem statuisse scripsit, at pudet me a Cellario hæc scripta accepisse, hi enim amnes, qui hibernis constituuntur torrentibus, ostiis solum fines designant. Igitur mendosum undequaque Plinii locum omnino ita restitues, enim eo modo Straboni non adversabitur, & nobis Apulorum fines patebunt. *Hinc Apulia Dauniorum cognomine a duce Diomedis socero, in qua oppidum Salapia Hannibalis meretricio amore inclytum: Sipontum: Amnis Cerbalus; portus Agasus, promotorium montis Gargani* Dauniorum finis, *a Salentino sive Japygio CCXXXIV. M. pass. ambitu Gargani:*
Uria :

Uria : *portus Garnæ* ; *lacus Pantanus*, *Flumen portuosum Frento* , *Teanum Apulorum* : *Itemque* Larinum *Cliternia* in regione *Frentana* . *Ita Apulorum* , *&c.* Nec quisque hic audaciam accuset meam , certum enim est nullum antiquorum scriptorum librum tantam ex barbaris lectoribus , exscriptoribusque jacturam passum fuisse , quantam Plinii liber ; & quidem hac in re magnopere de Harduino querimur, qui quum tot Plinii antiquos obtinuisset codices , eorum varias lectiones nobis reticuerit . At quas tenebras nobis Pomponius Mela offundit , qui Picenis , & Vestinis Frentanos conterminos facit ? en ejus verba ex clarissimorum virorum recensione , " Ab eo " (*Truento scilicet amne*) Frentani jam Matrini " habent , ac Aterni fluminis ostia ; Urbes Bu" cam , & Histonium . Dauni autem Tifernum " amnem , Cliterniam , Larinum , montemque " Garganum . " At quis Pomponium hæc scripsisse credat ? Et quærerem sane ex Gronovio , quinam hi erunt Matrini , qui nunc primum in Italia apparent ? Aliter omnino quidem antiqui habent codices , uti ipse Gronovius ait , & Petrus Ciacconius , qui hanc ex antiquo descriptam codice nobis lectionem exhibet . *Ab eo Senegallia maritima* , & ex alio Codice . *Ab eo Frentra villiæ maritima habent Eterni fluminis ostia* , *urbes Bucara* , *&* *Histonium* . *Dauni alit Trifernum amnem Claterniam* , *Latrinum Teanum* . At hæc corruptissima Melæ verba , quidquid Vossius , aliique doctissimi viri scripserint , omnino sic componenda sunt . *Ab eo* (Truento scilicet flumine) *jam* Marrucini *habent Aterni fluminis ostia* ; Frentani *urbes Bucam* , *&* *Histonium* , *Tifernum amnem* , *Cli-*

tern

terniam, *Larinum*. Apuli *autem Teanum*, *&c.* nec quidem τὸ *Dauni* in Pomponii textu consistere potest, ipsis enim id omne tribuit, quod a Frentone ad Salentinos usque protenditur, nulla de Pediculis, sive Peucetiis mentione facta, & omnino quidem, uti nos adnotavimus Pomponius scripsit. At de antiqua Apulorum Regione hæc prodit. „ Sinus est continuo Apulo litore incinctus no„ mine Urias, modicus spatio, pleraque asper „ accessu, extra Sipontum, vel ut Graji dixere „ Sipus. " Urias sinus dictus est ab Uria, de qua mox, Sipontum vero eo *extra* dicitur, quoniam in Dauniis est, ad alterum Gargani latus.

Quum igitur Frentonem amnem, atque Garganum Promontorium Apuliæ limites fuisse certum sit, videamus nunc, quæ fuerint Apuliæ urbes, & primum sane TEANUM nobis occurrit totius gentis caput, quam a Græcis conditam fuisse Plinius auctor est: *Teani duce e Grajis*: quod quidem miramur Cl. Mazochium fugisse, quum Græcas ad Hadriaticum mare urbes enumerat. Teate sæpe etiam hæc urbs vocata est, ut ex Livio, aliisque compertum est, & ejus sane nummi TIATI inscriptum habent cum Palladis capite, & noctua, quod Teates Græcos fuisse magnopere demonstrat. Ceterum sive Teanum sive Teate eam prisci nuncupaverint, *Apulum* cognomen ipsæ semper indidere, ne vel cum Sidicinorum Teano, vel cum Marrucinorum Theate confunderent. Hujus sane Urbis vestigia decem sane a mari millia passus, ad Frentonem amnem etiamnum videre est, quæ *Civitatis* nomen retinent, uti jam in Italia antiquæ excisæ urbes vocari consuevere. Aliud

Aliud Apulorum praestantissimum oppidum Uria fuit, quod Græcorum etiam opus fuisse nomen ipsum suadet, verum, quum ejus nummi ANIDV, & DONIDV, *Urina*, scilicet, & *Urinor* inscriptum habeant, non quidem Græcos oppidi incolas demonstrat. Cl. Mazochius Apulæ Uriæ nummum Urianis Salentinorum tribuit; nesciverat forte ea quæ de hoc nummo jamdudum doctissimi viri scripserant. Nomen hæc Urbs suum, & proximo lacu, & maris κόλπῳ dedit, lacus enim Οὐριανὸς dictus est, & maris sinus, qui ex Gargano Promontorio ad Frentanos usque protenditur Urias dictus est. Potentem ac populo frequentissimam urbem hanc diu fuisse ex antiquorum historiis manifestum est, ejus sane supra mare situs plurium quidem gentium emporium: hanc urbem fecerat; quod & Rhodiorum statio, quæ *Rodi* nunc etiam appellatur confirmat. At Romanis Italiam obtinentibus Uriam antiquam reipublicae formam amisisse compertum est, ex ea tum enim gentes abiere, atque in vicos dispersa est, quorum unus adhuc dum VICVS appellatur, cujus ævitatem antiquæ inscriptiones, quæ eo inveniuntur, demonstrant. Uriæ populos *Urios* Catullus vocat, & Plinius Hyrinos, Hyrium enim sæpe Uria ab antiquis dicta est: Ceterum Venerem magnopere Urios coluisse Catullus demostrat epigr. XXXVI.

Nunc o ceruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium, URIOSQUE apertos,
Quæque Ancona, Gnidumque arundinosam colis, &c.

Uria parum absuit ab oppido, quod nunc *Rodi* dici-

dicitur, sed paululum a mare fuisse credendum est.

Uriam juxta litus PORTUS GARNÆ sequitur jam diu arenis obturato ostio Οὐριανῶν *lacus* dictus, de quo aliqua expectamus ex cl. Mazochio in *Collectaneis*, quæ *Tabulas Heracleenses* sequuntur: ex eo Garganum versus Promontorium euntibus juxta mare MERINVM primo occurrit, cujus rudera tres ferme millia passuum a Vestanorum oppido ad septentrionem videre est, quæ etiam nunc *Merini* retinent nomen: hujus oppidi incolæ *Merinnates* a Plinio dicuntur. ΑΡΕΝΕΣΤΗΝ etiam Apulorum oppidum fuisse apparet, quam plerique Vestarum Vrbem credidere, at nescirem equidem, quibus nisi argumentis: ego quidem puto Apenestinos propius Garganum Promontorium inhabitasse, eo potissum loco *S. Salvadore* nunc cognomento, sæpe enim antiquorum oppida a posterioribus Christianis *Sanctorum* nominibus appellata sunt. Ceterum Apenestinos ex Græcia profectos nominis ratio omnino suadet: *Apamestini* a Plinio dicuntur, verum Ptolemæi lectionem retinerem. Nec alios Apuliæ maritimam oram Populos tenuisse memoriæ mandatum est.

Qui reliqui mediterranei Apuliæ Populi fuerint, divinare quidem nobis non est, Plinius tria ferme Apulorum distinxerat genera, quorum duo nunc in ejus codicibus relicta sunt: Teates nempe, & Lucani, qui a Chalchante subacti fuere: qui vero hi Lucani fuerint, ni mendum in scripto sit, in tanta rerum obscuritate, & ævitate quis divinare audeat? Atinates insuper Apuliæ Populos Plinius adcenset, quorum situs originesque omnino ignorantur. His insuper Collatia, & Ca-

Camerium addendæ sunt, de quibus Frontinus in libro *de Coloniis* memorat. Ego quidem Collatiam, ceteraque prope *Pulcinæ* vicum fuisse puto, in quibus viciniis antiquorum oppidorum vestigia pleraque cernuntur. Apuliæ demum DIOMEDIS INSULÆ addendæ sunt, quas quoniam in nostris non designantur Tabulis, neque hic exponere opus est. Mare insuper, quod Apuliam alluit, Hadriaticum est, Hadriaticum enim mare Tergeste urbe, & Gargano continetur promontorio. Scimus quidem eos, qui Adriam Venetam mari nomen indidisse scripserunt, ad Japygium usque Promontorium Adriaticum produxisse mare, At satius est ex Piceni Hadria Hadriaticum mare dictum credere. Lacus præterea duo in Apulia sunt, prior Uriorum Lacus est, Οὐριανόν, qui nunc *di Varano* appellatur; Lacus alter Pantanus ab Antiquis vocatus est, quod nunc *di Lesina*, ab urbe hujus cognominis, quorum rudera intra lacum adhuc visuntur. Ac demum Apulos Frento fluvius alluit, qui, nescirem profecto, an nomen ex Frentanis, quos ab Apulis dividit, traxerit, vel ipse Frentanis suis accolis nomen dederit.

D A U N I A.

Apulos ex Gargano Promontorio ad Barulum usque oppidum DAUNII sequuntur, quorum præstantissimum genus ex Diis jam profectum fuisse historiæ undique docent, Daunii enim gloriosissimi reges, qui Ardeam coloniam deduxere, & Pilumnus eorum Avus, in Deos jam omnes relati

Oo 2 sunt.

ſunt . Diomedes etiam Argyrippæ patriæ meæ, Siponti , & Canuſii conditor inter Deos relatus eſt , atque templa ubique obtinuit . Haud quidem nobis Dauniorum hiſtoriæ hic conſcribendæ ſunt , quæ juſto quidem ſervantur operi , nunc eorum ſolum terram deſcribentibus , fatendum omnino eſt , Dauniorum , Peucetiorumque fines nobis latere potiſſimum , quum eos antiqui etiam Strabonis ævo ignorarint . νυνὶ μηδὲ τοὺς ὅρους ἐπ' ἀκριβὲς λέγεσθαι τῶν ἐθνῶν τούτων . Verum ſi ex antiquis hiſtoriæ monumentis aliquid deſumi licet , ſciendum eſt , Plinium Aufidum amnem Dauniæ limitem ſtatuiſſe , verum ipſe deinde Plinius Canuſium Dauniæ adcenſet , quæ cum ita ſint , manifeſtum eſt Dauniæ limites Aufidum exceſſiſſe , adeout Cannas etiam oppidum omnes fere Dauniæ tribuant . In mediterraneis vero Apuliam a Peucetia , & Lucania Vultur mons dividit , de quo jam dictum eſt priore libro Antiquitatum Venuſiæ : ab Hirpinis vero , & Samnitibus Appenninorum diſtinguunt juga , quæ ad Frentanos uſque protenduntur , quum jam ex Alpibus incipientes per univerſam porriguntur Italiam .

Dauniorum amnes ſunt Aufidus , Daunus , & Cerbalus . Aufidus omnium celeberrimus nunc *Oſanto* Compſam prope ortus , Apenninos fluviorum ſolus ſecans , in Jonium incidit Pelagus , de quo Silius Italicus ait .

Humentes rapido circundat gurgite campos
Aufidus , & ſtagnis intercipit arva refuſis ,
Mox fluctus ferit Adriacos , magnoque fragore
Cedentem impellit retrorſus in æquora pontum .

Amnis

Amnis, deinde ſequitur Herdoniam prope præterfluens, quem incolæ nunc *la Carapella* vocant, hunc ego DAVNVM ſuiſſe puto, quem Horatius aquæ pauperem dicit:

> *Et qua pauper aquæ Daunus agreſtium*
> *Regnator Populorum.*

ex Hirpinis hic ortus montibus Salapinam præfluens Paludem in mare ſe immittit. Ac demum CERBALVS ſequitur, qui innumeros pene ortus habet, hic prope oſtium lacum efficit: & Strabonis ævo navigabilis adhuc dum erat, ut ipſe teſtatur. Μεταξὺ δὲ τῆς Σαλαπίας, καὶ τοῦ Σιπουῦτος, ποταμός τε πλωτὸς, καὶ στόμα λίμνης μεγάλης. Caſaubonus λίμνη μεγάλη legendum putat; at ego ejus ſane lectionem haudquaquam laudarem.

Hos præter amnes, tres inſuper lacus in Daunia ſunt, quorum prior ac potior, SALAPINA PALVS eſt, antiquam Salapiam pene contingens. Alter lacus eſt, quem PRESENTINVM Federici II. Imp. ævo dictum comperi, & nomen adhuc retinet, quod num antiqui etiam eo tribuerint, omnino incertum eſt. Poſtremus demum lacus ad Cerbali eſt oſtium, de quo Strabo memorat: huic conterminæ Salinæ fuere, quæ in Peutingeri tabula memorantur. Dauniæ inſuper celebres perhibentur montes LIBURNUS prope Gerionem GARGANUM & VULTUR, de quibus frequens in antiquorum libris mentio eſt, quibus Δρύον, & Καλήλη colles addendi ſunt, prior a Strabone, alter a Polybio memorati. De Dauniæ vero agro ceteris prætermiſſis Strabo omnino audiendus eſt.

Ἐστι δε πᾶσα ἡ χώρα αὕτη πάμφορός τε καὶ πολύφορος ἵπποις τε καὶ προβάτοις ἀρίστη . ἡ δ' ἐρέα μαλακωτέρα μὲν τῆς Ταραντίνης ἐστὶ λαμπρὰ δὲ ἧττον . ἡ δὲ χώρα εὐδεινὴ διὰ τὴν κοιλότητα τῶν πεδίων .

Qui Dauniam primum inhabitarint, nec quidem tam certum est, ut tribus exponi verbis possit, nec libelli ratio, ut aliquid de eis dicatur, sinit: solum igitur dicere satis sit Ausonas, & Aborigines Dauniam diu tenuisse. Græcorum eo tamen deinde quam plurimæ advectæ sunt Coloniæ; quarum celebrior ea est, quam Diomedes duxit; hanc Illiricorum Colonia sequuta est; verum hæc justo servantes operi, Dauniorum hic solum urbes, & loca persequi libeat.

Primum igitur quod ex Gargano Promontorio ad meridiem gradienti juxta litus occurrit, MATINVM est oppidulum Architæ naufragio celebre: nomen locus adhuc retinet, vocant enim incolæ *Matinata*: Sipontinorum, Garganorumque nunc ibi sunt amœnissimæ villæ. Qui vero Matinum incolebant, Mateolani a Plinio dicuntur.

ΑΛΘΑΙΝΟΣ deinde sequebatur rivulus, omnes pecorum morbos sanans, hunc vero Lacus *di S. Gio: Rotondo* nunc absorbet.

Sipontum deinde sequitur Diomedis κτίσμα, quo binæ, vel tres Romanorum deductæ sunt Coloniæ, quibus Arpanorum ager maxima ex parte adsignatus est. Ingentia Siponti rudera etiam nunc extant octo ferme stadia occasum versus ab nova Siponto, quam Manfredus Federici II filius ædificavit. Sipontum Σήπους Græci dixere, & τόπω nomen jam antea ex Diomedis adventu fuisse apparet ex Sepiarum copia, qua mare ibi abundat,

cu-

cujus rei Strabo teſtis eſt.

Sipontum SALAPIA ſequitur, quam Argyrippanorum Coloniam putarem, atque ex שלפ ים dictam, quum enim hic navale ſuum Argyrippani conſtituerint, hoc mihi argumento eſt neceſſitudine adveniſſe, quæ inter eos interceſſerat, Sipontinorum enim navale multo vicinius, comodiuſque ipſis erat, potiſſimum, quum per Cerbalum navigatio tum eſſet. Romanorum etiam Colonia Salapia ducta eſt, qui aeris gravitatem ægre quidem ferentes, Auguſto demum ſupplicarunt, ut eorum ſedes ſalubriori loco transferret; tunc igitur nova Salapia conſtituta fuit quatuor ferme millia paſſus a vetere diſtans. Atque hæc ſane ſunt Dauniorum maritima, oppida: mediterranea vero nunc recenſeamus.

Et primum GERIO nobis occurrit Annibalicis bellis celebre oppidum, quod quinque, & viginti millia paſſuum a Luceria diſtans fuiſſe Polybius auctor eſt; hujus ſane oppidi, nec quidem rudera nunc apparent, quum ab Annibale pene deletum fuiſſe hiſtoriæ doceant. Plerique *Dragonariam* prope Gerionem fuiſſe putant, ego libenter in eorum abibo ſenteniam, dum Liburnum mihi commoſtrent montem, & quinque & viginti paſſuum millia a Luceria ad ſeptentrionem diſtantiam ſervent. Etiam Gerionem prope Καλήλη collis fuit: & Fabii ad Frentonem Caſtra obſervanda ſunt.

Gerionem FERENTINVM ſequitur oppidum adhuc uſque a Geographis ingnoratum, qui ſæpius Livium increpant, quoniam Samnitico bello Conſules ad Luceriam pugnantes ad Hernicorum Ferentinum uſque continuo mittit. Diſtat igitur

tur a Luceria Ferentinum quatuor ferme millia passuum, oppidum jam illis temporibus haud magnum, ut ejus territorium Lucerinæ Coloniæ addictum facile putaverim. Episcopalis deinde sedes a *Christianis* constituta est: Oppidum vero celebre factum est morte Federici II Imperatoris. Ferentini: nomen nunc, & rudera solum remanent.

A Ferentino LVCERIA quatuor ferme passuum millia distat cujus quidem origo nobis omnino latet: Dauniorum quidem antiquissimum oppidum Strabo fuisse testatur: & sane eo Dauniæ reges sedem habuisse facile credam, antequam Diomedes ex Græcia veniens Argyrippam Dauniæ caput constituisset. Jampridem ac Diomedes in Apuliam adventasset, Minervæ eo templum celebre fuit, quo Perseus Danaes, & Jovis filius nutritus, atque educatus est, atque in eo sane templo Minerva Iliaca, sive Palladium allatum est, atque diu adservatum. Romani Coloniam eo deduxere, de cujus ætate his proximis annis ad Josephum Fratrem epistolam conscripsimus. Strabonis sane tempore ex pristina illa magnitudine maximopere Luceria imminuta erat.

Persequamur nunc eas urbes, quæ ad lævam Apuliæ tabulam intuentium sunt, quarum prima ÆCA occurrit, quæ Polybio, Livio, & Itinerariis sæpe memoratur. Hujus urbis situs haud parum a Troja fuit *Foggiam* urbem versus, ubi sæpe antiquæ urbis monumenta exciduntur.

Aecani Aecæ incoli a Plinio dicuntur: plerique Aecas cum Hirpinorum Aequulano, & Accua confudere, verum maximopere falsos esse abbun-

abbunde ex antiquis historiis patet. Aecani Episcopi jam in Ecclesiasticis historiis innotescunt; His Trojani Episcopi successere, quorum nunc maximo nostri bono locum obtinet MARCUS DE SIMONE Atellanus, vir omni scientia & doctrina instructissimus, cujus sane adventu Trojanæ Ecclesiæ disciplina jam ab Antecessore suo parum curata ad pristinam faciem revocata est: sacris honos redditus, mores statim juxta leges compositi. O quam optimos obtinebimus cives hunc vigilantissimum habentes Præsulem.

Ad Aecæ lævam VIBINUM est, postremum Dauniorum oppidum, & gentis pene confinium: hujus oppidi incolæ *Vibinates* a Plinio dicuntur. Sex ab Aeca Asculum versus passuum millia Castra Annibalis fuere, de quibus priore libro Antiquitatum Venusiæ disseruimus. EQVOTVTICVS deinde sequitur, quem Horatii & accuratiorum inerariorum ductu eo posuimus loco, *Ponte rotto* nunc cognomento: neque hic Pratilli ineptiæ & falsitates audiendæ sunt, locus enim, quem ipse designat, mire optimis abbundat aquis, & ab Horatii verbis, & omnibus Itinerariis dissonus est. ASCVLVM deinde sequitur, de quo jam ad Eccellentissimum Nicolaum Marullum diximus, ex eo VENVSIAM pervenitur, cujus causa præsentem instituimus libellum.

BANTIVM etiam Daunis adscribendum, Annibalicis bellis celebre oppidum, quatuor passuum millia a Venusia ad meridiem distans: Hujus sane Oppidi reliquiæ adhuc, & nomen supersunt. Cetera quæ sequuntur oppida Venusiam inter, & Canusium Peucetiæ potius, quam Dauniæ adscribenda sunt.

CANUSIUM Dauniorum oppidum quatuor, & viginti passuum millia a Venusia distat: huic sane conditorem Diomedem historiæ adsignant, potissimum quum Campi, qui Canusium inter, & Κεραυνιλίαν sunt, DIOMEDIS CAMPI nuncupati fuere. Hæc quidem urbs inter Ἰαπυγίτιδας maxima quondam fuit, ut ejus adhuc rudera demonstrant, & Strabo testatur. Emporium habuit celebre ad Aufidum flumen, quod quinque ferme ab ea stadia ad lævam præfluit. Emporium sex sane a mari stadia distabat. Urbs nunc parva in edito jacet colle priscæ suæ magnitudinis reliquias undique prospectans. A Canusio mari versus CANNAE fuit oppidum Romanorum clade celebre, cujus quidem arcem jampridem Saraceni perdiderunt, nunc rudera solum, & nomen locus retinet. Cannas, & Canusium inter Torrens VERGELLI fuit, quem sanguinem fluxisse acerrima illa die historiæ docent, quando ex Romanorum cadaveribus ibi Pons constructus etiam fuit.

Duo nunc oppida, CAROLE humanissime, ego Dauniæ primum adscribam, quæ a Diodoro Siculo memorantur his verbis: Olymp. 117. pag. 424. Κατακράτησαν μὲν οὖν, καὶ Κεραυνιλίαν ἐκπολιορκήσαντες, φρουρὰς ἐπέθηκαν. τῶν δ' ἄλλων τινὰς πείσαντες, προσηγάγοντο. Jam primum quæ Diodorus hic narrat in Daunia accidisse certum est, ipse enim fatetur: quæ quum ita sint, quis neget Κεραυνιλίαν illud oppidum fuisse, quod nunc CERIGNOLA vocatur, nominis quidem adfinitas, & ipsa suadet historia: Diodori MSS. codices Κεραυνιάαν, & Κεραυναίαν habent; quamcumque tamen amplexus fueris lectionem ex Κεραυνιλία *Ceriniolam* factam esse, manife-

festum est. Ejus quidem agrum Salapiæ Coloniæ adsignatum fuisse facile putandum est. At Καπάρα-κα, ubi fuerit Oedipus quidem non sum, ut divinare valeam.

Herdonia nunc ordine sequitur, cujus nomen in Itinerariis, & apud scriptores corruptum Geographos in plurimos errores ducit: spectandæ adhuc usque sunt hujus Urbis vestigia in via, quæ ex Pediculis Neapolim ducit eo loco, quo *la Taverna d' Ardona* nunc est. Herdonienses Samnitico, & Annibalico bello inclaruere; quum Annibal ex Italia excessisset Herdoniensis ager militibus divisus est. Herdonia ab Asculo sex ferme distat passuum millia.

Arpos nunc sequitur, cujus sane incolæ ex diis originem ducentes, quum jam Saraceni eorum perdiderint urbem, Urbi meæ patriæ fundamenta jecere *Foggiam* nuncupantes. Diomedes ex Græcia huc adveniens Argyrippam constituit urbem, eo sane loco, quo ante Lampe Ausonum fuit. Duo præterea hæc circum loca tum oppida fuere Tricæ, & Apinæ nuncupata, quæ Diomedes omnino delevit, cum Dardis, & Monadis: verum hæc omnia, uti spero, justo reddendur operi, neque enim dum Dauniorum terram, & Urbes describimus: eorum historiæ originationesque huc etiam adducendæ sunt: at ex eo tamen mihi temperare nequeo, ut Alexj Symmachi, Mazzochii nugas parumper rideam: hic novo, quod nuper edidit commentario in Heracleenses Tabulas, Arpis Diomedem conditorem abstulit, nescio qua Grammatica inductus ratione: immo Arpi nomen ab Apro repetit, quo-

 niam


niam Arpanorum nummi *aprum* habent : quærerem ſane, num Arpanorum nummi ante Arpum conditum cuſi ſint? At pudeat tandem Mazochium clariſſimum alioquin virum hæc prodere. Aper, quem Arpani ſuis nummis poſuere, idem eſt, quem ſtrenuus Meleager in Calydonia confecit, cujus ſane caput Diomedes Meleagri nepos, & heres ſecum in Italiam abduxit, atque Beneventi poſuit; Cæterum nedum Aprum, ſed & præſtantiſſimos Diomedis Equos Arpanorum nummi habent, qui incenti pene copia Arpo nunc etiam quotidie effodiuntur. Sileat ſane Erudititiſſimus Mazochius grammaticas ſuas, potiſſimum quum clara hiſtoriæ ſuperſint monumenta. Argyrippa Arpos deinde nominis contractione vocata eſt, cum jam ante a Diomede Αργος Ιππιον nuncupata fuiſſet; hujus ſane Urbis rudera adhuc dum viſuntur quinque pene a *Foggia* Urbe paſſuum millia Sipontum verſus: locus adhuc Arpi vocatur.

Ad lævam Urbis Foggiæ aliud antiquum ſupereſt oppidum in loco Vaccarella cognomento, quo his proximis annis cum laxandi cauſſa veniſſemus has duas antiquas invenimus inſcriptiones:

.. L. L. ARCHE. SIBI. ET. L. CA...
.. ATRONO. AVG. GRATVIT...
.. VANTHO. PATRI. ET. CALPVR..
... PVRNIAE· NARDI· AVIAE· ET L· L· CALPVRI...
... PVRNIO· PRIMIGINIO· ET CALPVRNIO PRIM...
.... NOME

Hæc ſane epigraphe Calpurniorum hic prope ſepulchrum fuiſſe demonſtrat; altera inſcriptio ſic ſe habet: L.

Quæret quis forte, cur & noſtræ Tabulæ ea non adfixerimus loca, quæ in Peutingeri Tabula exprimuntur. Reſponſum ipſa Peutingeriana Tabula reddet, cujus ſegmentum ideo Lectori.


Istonwi.

L . PLOTIVS
VICINAI . L . SELEVCVS .
SITVS .

Hic forte Ι'τάλιον fuit, de quo Diodorus Olymp. 117. ann. 3. his meminit verbis. Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν, οἱ τῶν Ῥωμαίων ὕπατοι μετὰ δυνάμεως ἐμβαλόντες εἰς τὴν Ἀπουλίαν, ἐνίκησαν μάχῃ Σαμνίτας περὶ τὸ καλούμενον Ἰτάλιον. Rudera quidem prisci oppidi eo in quo diximus loco aperte conspiciuntur, & Ἰτάλιον nomen idem pene est, ac *Vaccarella*. Locus hic a *Foggia* quatuor ferme distat passuum millia.

Ab Arpis vero Garganum versus abeuntibus viam prius fiunt ANNIBALIS CASTRA, ut ex Livio, Polybioque compertum est: deinde ΟΤΙΒΑΡΝΟΝ Ptolomæi occurrit, cujus quidem situm prope *S. Marci in Lamis* oppidum fuisse eruditi conveniunt. Ex eo ad PODALIRII, & CALCHANTIS SACELLA pervenitur, de quibus neque hic pauca adjungere lubet, quum solum hic nobis γεωγραφία sit: illud certum omnino est ad Gargani colles hæc Sacella fuisse, neque alibi consistere poterunt, quum eruditi jam norunt nullo penitus alii loco Strabonis, & Licophronis verba convenire potuisse. ΔΡΙΟΝ igitur COLLIS etiam prope *S. Marci in Lamis* oppidum fuisse facile credendum est.

DE PEVTINGERIANA TABVLA.

Quæret quis forte, cur & nostræ Tabulæ ea non adfixerimus loca, quæ in Peutingeri Tabula exprimuntur. Responsum ipsa Peutingeriana Tabula reddet, cujus segmentum ideo Lectori-

ribus proponimus. Quis enim divinare audeat quæ fuerint loca, quæ Peutingeri exhibet Tabula, quum tam inordinate in ea ponantur, ut eandem Sulmonis, & Larini ab æquatore latitudinem fuisse appareat? Quod omnino absurdum est. Mendis præterea hæc Tabula undique scatet, neque enim *Anxanum* Sipontum inter, & Salinas fuit, & Flumen quod *Aufidus* inscribitur, Daunus, sive *la Carapella* omnino est, quum Aufidus sit qui Bardulum prope, in Jonium incidit pelagus. *Alvedium* porro flumen incognitum omnino est Apulis. Aecæ *Aeras* scribuntur. At *Prætorium Laverianum* eundem ferme puto locum, quem Tullius Lavernium vocat: epist. 8. lib. 7. ad Atticum. *Nam VII. Kalendas ad Lavernium me consecutus est. Una Formias venimus*. Hic sane Ciceronis locus eruditorum mentem adeo torquet, ut Manutius *Liternum*, alii *L. Avernium* legant, alii demum ad Lavernam confugerunt Deam, quæ in libris *de Fato* ab eodem Tullio memoratur: at non est quod ad eam confugiant, Acro enim testatur Lucum hanc Deam habuisse ad viam Salariam, quæ ex Quirinali egrediens porta ad Sabinos ducebat; non igitur hic lucus erit, ubi Tullium a Pompejus consequutus est; at potius Lavernianum Prætorium, de quo Peutingeriana Tabula memorat. Quum itaque ignoti adhuc usque nobis sint locorum situs, qui in Peutingeri designantur tabula, exemplar ideo potius ejus tabulæ tibi proponendum duximus, qnamquæ in ea proponuntur loca nostræ tabulæ adjungere.

Peutingerianæ tabulæ antiquorum itineraria; quæ Antonini, aliorumque inscribuntur nomine, adjungenda sunt, ex quibus hæc Dauniæ, & Apuliæ exhibentur loca. Ex

Ex Antonini Itinerario.

A Capua Equotuticum, ubi Campania limen habet.	*M. P. LIII.* sic.
Caudium	*M. P. XXI.*
Beneventum	*M. P. XI.*
Equotuticum	*M. P. XXI.*

Cave ne credeas hunc Equotuticum in Apulia fuisse, omnino enim vel excriptorum, vel auctoris mendum est, quum Equulanum omnino sit oppidum, de quo loquitur, quod eo ponitur ab Itinerario loco, quo nunc *Ariano* est, at mendum est omnino: ex Capua enim Equulanum usque unum circiter sunt & quagraginta passuum millia, igitur τὸ LIII, omnino reponendum est XLI. Equulanum eo fuit loco, quo nunc *il Passo di Mirabella* est, eo adhuc dum & Amphitheatrum, & alia ædificiorum rudera videnda sunt. Ego sane ex eo præteriens hanc Antiquorum Christianorum ἐπιγραφὴν vidi, quæ ad viam nunc posuere.

B ✠ M.
HIC REQVIES
CIT IN SOMNO
PACIS ACRESTI
ASPEs QVE VIXIT
ANNVS PL· M<XX
OPs EIVS III KALE
NOVEMBR ES
FLORENTIO
V. C. CON.

Aliud

Aliud insuper inscriptionis fragmentum his inscriptum literis ibi etiam invenimus:

.... O
.... R
.... CL.
...... MEDI
...... ERIS
...... VLATV
...... D

Ex hujus præstantissimæ Urbis ruinis *Mirabellæ* oppidum ædificatum est, ex quo nuper a præstantissimo Jurisconsulto Marcello Ferrio hæ nobis adductæ sunt antiquæ inscriptiones, quæ quidem ineditæ esse videntur:

MANNACHIO ·
PRO · SINGVLARIBVS ·
ERGA · CIVITATEM · NOSTRAM ·
MERITIS ·
INDVSTRIAE · ET · ELOQVENTIAE ·
PRAECIPVO ·
ET · IN · OMNI · ADFECTV ·
PRAESTANTISSIMO
FABRICATORI · EX · MAXIMA · PARTE ·
ETIAM · CIVITATIS · NOSTRAE ·
MVLTA · ET · VSVS ·
ET · ORATIONIS · VI · ADDENTI ·
VMBONIO · MANNACHIO ·
V. C.
PATRONO · DIGNISSIMO ·
ORDO · CIVITATIS . AECLANENSIVM ·
STATVAM . PONENDAM :
CENSVIT :

D. M.

D. M.
C. BITITIO.
C. FIL. COR.
PIO.
HIC. SITO.

D. M.
COSIO.
SIMFORO.
VERATIA.
ROMANA.
COR. B. M. F.

D. M.
C. BABRI. RVFI.
V I X.
BABRIA. PRIMA.
MAT. FIL.
B. M. F.

Equulanum præterea ſive Aeclanum a poſteriori- bus Romanis Imperatoribus Apuliæ addictum fuiſ- ſe certum eſt, Apuliæ enim limites Beneven- tum uſque producti ſunt. Proſequamur nunc An- tonini Itineratium.

Ab Equotutico Hydruntum	*ad Trajectum . . ;*
	M. P. CCXXXV
Eeas lege Aecas	*M. P. XVIII.*
Erdonias	*M. P. XVIIII.*
Canusium	*M. P. XXVI.*

* * * * * * * *

A Benevento Hydruntum	*M. P. CLXV.*
Aeclanum	*M. P. XXV.*
Sub Romulam	*M. P. XXI.*
Pontem Aufidi	*M. P. XXII.*
Venusiam	*M. P. XVIII.*

Ab Urbe per Picenum, Anconam, & inde per Brundisium.

. . . .

Ortonam	*M. P. XI.*
Anxanum	*M. P. XIII.*
Histonium	*M. P. XXV.*
Vscosium	*M. P. XV.*
Arenium Larinum	*M. P. XIIII.*
Corneli Cornelium	*M. P. XXVI.*
Pontem Longum	*M. P. XXX.*
Salinas	*M. P. XV.*
Aufidenam	*M. P. XL. &c.*

In Itinerario Hyerosolimitano hæc habentur.

M.	*Botontes*	*M. P. XI.*
C.	*Rubos*	*M. P. XI.*
M.	*ad Quintumdecimum*	*M. P. XV.*
C.	*Canusio*	*M. P. XV.*
M.	*ad Undecimum*	*M. P. XI.*
C.	*Serdonis* Herdonia	*M. P. XV.*
C.	*Aecas*	*M. P. XVIII.*
M.	*Aquilonis*	*M. P. X.*
Mansio ad Equum Magnum		*M. P. VIII.*

Uti.

Utinam & distantiæ que in Itinerariis notantur convenirent, at vel auctorum ignorantia, vel excriptorum negligentia falsæ nunc omnes pene cognoscuntur. Ceterum Itinerariorum auctoribus Anonymus Ravennas adjungendus est, qui cap. 34. in Apuliam *Rani*, *Egotanticon*, *Erdonias* recenset, & cap. 35. *civitas Alpos*, *Luceria*, *Apuliæ*, *Esas* ... *Canusio* .... *Benusia*, *Ponte Aufidi* .... *Urias*, *Anxia Mesocoron*. Anxia, quam Anonymus recenset, forte Anxanum erit in Tabula Peutingeri designata. At hæc barbaricis linquens temporibus, hic quærerem sane, ubi fuerit ACCUA, & ANIMULA prior a Livio, altera a Festo memorata: at harum urbium positus omnino nos latet. Atque hæc sane, humanissime CAROLE, ea sunt, quæ Apulorum, Dauniorumque regionibus percurrendis occurrunt, quibus in exponendis, ea qua decebat usi sumus brevitate: antiquam enim Apuliæ γεωγραφίαν jam pridem eruditissimi quamplurimi viri scripsere, at neque Cellarius, neque Cluverius, aliique adverterant Daunios ab Apulis distinctos fuisse: cetera ex ipsis nos didicimus, qui ea quæ ab ipsis prodita sunt diligenter cavimus, ne in nostrum traducerentur opus, puduit enim coctam reponere crambem: igitur qui ea cupit in Cluverii, Cellarii, aliorumque eruditissimis quærat libris, quorum sententiæ si ab nostris quandoque dissonæ videantur, scito eas nos proprodidisse sciat, quoniam veriores cognovimus.

F I N I S.

INDEX AUCTORUM,

Qui in his libris notantur.

INDEX

RERUM NOTABILIUM.

A

B

C



